
43
S E
3





PETRI MORETTI
ROMANI

Insignis Basilicæ SANCTAE MARIAE
Trans-Tyberim Canonici

DE
RITU OSTENSIONIS
SACRARUM RELIQUIARUM

A nemine hactenus peculiari elucubratione illustrato

DISSERTATIO
HISTORICO-RITUALIS.





ROMÆ MDCCXXI.
Ex Typographia ROCCHI BERNABÒ.
PRÆSIDUM FACULTATE.

Præsuli Clarissimo

PROSPERO
DE LAMBERTINIS

PETRUS MORETTUS
S. P. D.



UUM *sedulò cogitarem cuinam e Viris præstantissimis, quibus Roma abundat, Opellam hanc* DE RITU OSTENSIONIS SACRARUM RELIQUIARUM *nuncuparem, in Te potissimùm animum converti,* PRAESUL ORNATISSIME. *Eum enim quærebam, qui authoritate sua, atque existimatione, qua apud omnes polleret, primitias hasce studiorum meorum ab intemperantioris critices conatibus tueri posset: & cui in deliciis esset*

Sacrorum Rituum originationes usfusque scire, quorum ope stetit stabitque semper invicta Catholica Religio. Quis verò aptiùs, quàm Tu, vota mea implere potuit? Tanta est apud omnes de Te ac tam honorifica opinio, ut illustrior optari nequeat. Hanc verò Tibi non vetustus modò nobilissimæ Familiæ, qua genitus es, fulgor, sed etiam præclarissimæ animi Tui Dotes uberrimè compararunt: Illud scilicet mirè intelligens limatumque ingenium, incredibilis in enucleandis explicandisque intricatissimis quæstionibus facilitas ac perspicuitas, Jurisprudentiæ, aliarumque facultatum peritia singularis. Hinc meritò Te videmus magnis in Romana Curia dignitatibus auctum: Hinc scimus frequentissimè, siquando difficiliores incidant disceptationes, calculum præcipuè Tuum exquiri. In perscrutandis verò Catholicæ Ecclesiæ ritibus atque usibus tantopere delectaris, ut in hoc pauci Te exæquent, antecedat certè nemo. Quodquum

explo-

exploratum omnino haberet Max. Pontifex Clemens XI., eximium Promotoris Fidei officium inter alia viribus Tuis concredidit, cujus non ultimum munus est prospicere, ne Sacri Ritus inductis insanis pravisque novitatibus a veteri puritate recedant. Ministerium porrò illud arduum planè, atque ab infinitæ propemodum eruditionis Viro exercendum quanto plausu sustineas testes sunt quotquot vivunt docti homines, ac in literaria republica percelebres. Hæc de Te non obscura cognitio, Praesul Clarissime, *me vehementissimè compulit, ut sub umbra nominis Tui qualemcumque hanc Tractationem ponerem. Excipe Tu illam ea humanitate, quæ cæterarum Virtutum Tuarum est ornamentum pulcherrimum, ac potenti patrocinio juva. Quod ut facias etiam atque etiam rogo; nihil enim mihi accidere potest jucundius, nullum ampliorem percipere possum laboris mei fructum. Vale.*

Dab. VII. *Id. Maji* MDCCXXI.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. Patri Sac.Palatii Apostolici Magistro.

Thomas Cervinus Episc. Heracleæ Vicesg.

APPROBATIO.

LEgi; Reverendissime Pater, Dissertationem Historico-Ritualem vestra mihi authoritate concreditam *de Ritu ostensionis Sacrarum Reliquiarum* ornatissimi Viri Petri Moretti Insignis Basilicæ Sanctæ Mariæ Trans-Tyberim Canonici, eamque sicut argumento raram, stylo jucundam, eruditione exquisitam, sacris demum fidei dogmatibus, institutisque morum non dissonam singulari planè voluptate comperii, ita perquàm dignam existimo, quæ in rei litterariæ ornamentum publicam in lucem edatur, sicque censeo e Divi Marcelli Cœnobio VII. Kal. Decembris 1720.

F. Petrus Maria Pieri Emi Corsini Theologus; ac Bibliothecarius, Sacrarum Congregationum Indicis, ac Rituum Consultor, S.Romanæ, ac Universalis Inquisitionis Qualificator, & Ordinis Servorum B.M.V. Procurator Generalis.

IMPRIMATUR.

Fr.Gregorius Selleri Ord.Prædicatorum Sac.Palatii Apostolici Magister.

LECTORI BENEVOLO.

ORem penè omnium Scriptorum secutus pauca Tecum præfari liceat, amice Lector. Et primò quid me ad hanc exarandam dissertationem impulerit vellem acciperes. Absoluta ferme erat editio egregii, & longa eruditorum expectatione quæsiti Operis Reliquiarii * Sympresbyteri mei charissimi Marci Antonii Buldethi, quum ab illo fortuitò quadam die sciscitatus sum, an aliqua disseruisset de consuetudine Ecclesiæ sacra pignora quandoque populis ostendendi; sciebam enim maxima operis parte non paucos ad Reliquias spectantes ritus ab eodem fuisse explanatos. Respondit ille, quo solet, animi candore nonnulla fortassis fore de hoc dicenda in ipso elucubrationis calce. At quum addidissem asservari a me in adversariis multa circa hunc Ritum ex authoribus cùm editis, tùm mss. excerpta, paratumque me esse cuncta illi ingenuè communicare, renuit Vir humanissimus, non quòd incongrua ineptaque omnia reputaret, sed ne alieno labore frui videretur. Enim verò illico me quotidie adhortari cœpit, ut singula in peculiarem dissertationem digererem, ac typis committerem pluribus probans nec inutilem nec injucundam Eruditis futuram. Animum itaque calamumque ad opus, quamvis alio & quidem graviori & chariori labore deti-

Osservaz. Sopra i Cimiteri di Roma &c. e riflessioni prattiche sopr. il Cult. delle SS. Reliqq.

detinerer, eo hortatore, admovi, brevique illud absolvi. Hæc opellæ sincerissima origo. Monendus modò es, benigne atque erudite Lector, a me ipso maxima in eâdem deprehendi scribentium vitia, aridam insuavemque elocutionem, minuta non pauca, plura desiderari, rejici posse plura, cuncta censoriâ virgulâ dignissima. Quid ergo? Actum erit de me, meique nominis fama, ni Tua suppleat benignitas universa. Id omnino sperare de Te volo, evenietque procul dubio, dummodo perpendas quòd ingenii mei curta est ac tenuissima supellex, quòd opusculum hoc primus fœtus est studiorum meorum, hinc necessariò quodammodo immaturus imperfectusque esse debet, quòd in argumento versatus sum haud parum infœcundo, jejunaque materie, demum quòd præcipitanter cuncta digerere mihi opus fuit, ea ratione, ut, si fieri potuisset, vix editâ Canonici Buldethi elucubratione hæc tractatio tamquam eidem supplementum datura prodiret in publicum: Vale, meque ad intimum Lycei eruditorum ádytum penetrare cupientem si non invitas, saltem a limine ne proturbes.



SYL-

SYLLABUS

Operum, aut Scriptorum, quorum auxilio hæc Dissertatio est concinnata.

Abbas Panormitanus
Acta Apostolorum
Acta S.Mariæ Ægypt.
Acta SS. Ordinis Benedictini
Acta S.Theodori Cœnobiarchæ
Alaleonis Diaria mss.
Alverus
Andreas Cretensis
AnonymiSynopsis gestor.per Europã &c.
Anonymus historicus Aquitaniæ
Anonymus Scriptor miraculorum S.Adhalardi
Antonii Petri mss. Diar.
Appianus Alexandrin.
S. Audoenus
Aventinus

Baronius
Beeckius
Blasii de Cęsena Diar. mss.
Bibliotheca Cluniac.
Bibliotheca PP. Lugdun.
Bollandiana collectio
Bonarroti
Bonifacius VIII.
Bosius
Bosquetus
Brouverus
Buldethus
Bullarium Romanum
Bzovius

Casfina mss. Diar.
Castellanus
Castilionæus
Chiapponus
Chiffletius
Chronicon Paschale
Chronicon S.Petri Vivi
Cicero
Clemens IV.
Clemens VIII.
Codinus
Collius
Constitut.Synodales
Ecclesiæ Constantiensis
Cadurcensis
Ruthenensis
Tutellensis
Constitutiones Basilicæ S. M. Transtyb. editæ a Card. Altaempsio,& a Card. Saulio mss.
Concilia
Avenionense
Aurelianense
Beneventanum
Bituricense
Budense
Hostiense & Veliternense
Lateranense IV. OEcum.
Mediolanense I. & IV. sub S.Carolo
Moguntiacum
Montisfalisci
Neapolitanum
Tridentin. OEcum.
Cosmas Vestiarius
Curtius

Dacherii Spicilegium
Decretales Pont.
Deuteronomii lib.
Dio Cassius
Dio Chrysostomus
Ducangius
Ducatellus
Duchesnius
Durandus
Durantus

Eunapius
Euripides
Eusebius Cæsarien.
Exodi liber

Fagnanus
Felibienus
Ferrandus
Fontaninus
Franciscus Maria a Rivotorto

Galterus
Glussianus

Godeau
Godofredus
Gonzalez
Gregorius IX.
Gregorius Turonenſis
Gretſerus
Grimaldus
GuibertusNovigentin.
Guibertus Tornacen.

HadrianusMalbodien.
Henricus de Herphordia
Herodotus
Hieronymus Maria a S. Anna
Hiſtoria exceptionis capitis S. Clementis
Hiſtoria detectionis corporis S. Dionyſii
Hiſtoria inventionis corporis S.Bertini
Hiſtoria inventionis corporis S. Hildelfonſi
Hiſtoria translat. II. corp. S.Aldegundis.
Hiſtoria translat.corp. S.Auſtrenomii
Hiſtoria translat.corp. S. Berthæ

Infeſſura Diar. mss.
Innocentii XII. Breve
S. Johannes Chryſoſt.
S.Johannis Evangeliũ
Judith liber
Juvenalis

Kircherus

Labbæus
Lipſius
Livius
Lucretius

Mabillonius
Macrius
Martialis
Martene
Martinus V.
Martyrologium Hiſpanicum.
Et Vſuvardi
Meierius
Menæa Græcorum
Meurſius
Micrologus
Minutius Felix
Molanus
MonaſticonAnglican.
Muratorius

Nicephorus
Nicolaus I.

Ovidius

Panvinius
Paralipomenon lib. I.
S. Paulinus
S.Paulus
Pauſanias
Petra-Sancta
Petrus Valliſarnenſis
Phæbeus
Pingonius
Pirckeimerus
Pius II.
Plato
Plautus
Plinius
Pluthareus
PontificaleRomanum
Proceſſus pro Canoniz. Urbani V.
Proclus
Prudentius

Raſponus

Raynaldus
Rebdorſius
Regum liber II.
Rigordius
Rituale Romanum

Saracenus
Sauſſajus
Schefferus
Schedæ Archivi Vaticanæ Baſilicæ mss.
Seneca
Serarius
Servius
Severanus
Signius
Solarius
Stringa
Suetonius
Suidas
Surius

Tertullianus
Themiſtius
Theofridus
Theupolus
Thierſius
Tillemontius
Trithemius
Turnebus

Valerius Maximus
Veggius
Villanius
Victorellus
Virgilius
Ulmarus
Vopiſcus
Urbanus V.
Waddingus

Zaconius
Zixilsnes

SY-

SYNOPSIS

Contentorum ſub numeris LXXVI. quibus diſtinguitur hæc Diſſertatio.

Car-

Prin-

Oscu-

Pag.35. versu 28. *dele* Germano fratri, *& lege* consanguineo.

DIS-



DISSERTATIO
HISTORICO-RITUALIS.

I.



Er dictionem OSTENSIONIS quid hoc loco significari velim peropportunum judicavi in ipso Dissertationis vestibulo indicare. Aliquid ostendere multiplices complecti sensus Lexicographi celebriores, qui omnium manibus teruntur & præter illos V. Cl. Adrianus Turnebus in suis adversariis, apposite observant. Horum omissis sententiis nos ad rem nostram quidpiam ostendere nihil aliud dicimus, quàm latitans aliquid ob oculos ponere ad breve tempus, ut ipsâ sui præsentiâ animos ad aliquid valeat excitare. Exempla si velimus etymologicæ hujus usurpationis accommoda tot crediderim existimari posse, quot

Ostensio quid.

Turneb. lib. 13. c. 1.

quot ferme authorum textus mox afferentur. Actio ostendendi OSTENSIO nuncupatur.

II.

Efficacia ostensionis rerum.

IN humanis rebus maximam inesse efficaciam actioni ostensionis cum res ipsa per sese, tum veterum documenta planè demonstrant: Oculi enim nostri, quos mentis quodammodo fenestras ab aliquibus vocari scio, vix quicquam, quod ante latuit, suspexere animis ejusdem imaginem avidissimè transmittunt, & eos ad varia incitant. Tunc diversarum passionum gignitur incredibilis commotio. Mirandum hinc haud est, si plerique hac usi sunt agendi ratione, ut ad ea, quæ cuperent, quos vellent pertraherent. Pauca exempla seligenda sunt e sacris paginis, ac antiquis Scriptoribus. Ad hominum admirationem suscitandam monstrabatur in Palæstina Gigantæus ille lectus, de quo liber Deuteronomii: *Solus Rex*

Deuteronom. II. 11.

Basan restiterat de stirpe Gigantum: MONSTRATUR *lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis*. Cupiebat Judith fœmina fortissima Bethuliæ populum ad laudes Dei, gloriamque canendas vehementer impellere metu Assyriorum ob trucidatum Ducem eliminato, caput ejusdem ostendere properavit, spoliaque detracta; *Proferens*, inquit

Judith. XIII. 19.

sacer Codex, *de pera caput Holofernis* OSTENDIT *illis dicens, ecce caput Holofernis principis Militiæ Assyriorum, & ecce* CONOPEUM, *in quo recumbebat*.

Ir-

Irrisionis & opprobrii incitamentum reputata est aliquando actio ostensionis. Hac de caussa monstratum crediderim populis caput Saulis ab impiis Philistæis, quod narratur in libris Paralipomenon: *Cùmque spoliassent eum, & amputassent* L. I. c. X. 9. *caput . . . . miserunt in Terram suam, ut* CIRCUMFERRETUR, *&* OSTENDERETUR *templis Idolorum, &* POPULIS. Ob id etiam, testante Plutharco, Antonius suspiciendum proposuit caput, manumque Principis Romanæ eloquentiæ: Tom. 1. oper. Plutb. V M. Anton. p. 924. edit. Parisina: Κικέρωνος δὲ σφαγέντος ἐκέλευσεν Αντώνιος τὴν τε κεφαλὴν ἀποκοπῆναι, καὶ τὴν χεῖρα τὴν δεξιὰν, ᾗ τοὺς κατ' αὐτοῦ λόγους ἔγραψε, καὶ κομισθέντων ἐθεᾶτο γεγηθὼς, καὶ ἀναγχάζων ὑπὸ χαρᾶς πολλάκις. εἶτα ἐμπλησθεὶς ἐκέλευσεν ὑπὲρ τοῦ βήματος ἐν ἀγορᾷ τεθῆναι κατάπερ εἰς τὸν νεκρὸν ὑβρίζων: idest: *Ciceronis jugulati jussit Antonius caput, & dexteram, qua philippicas scripserat detruncari, quæ allata exultans cachinnansque crebrò præ gaudio, ubi satiatus fuit mandavit, ut in foro* PRO ROSTRIS FIGERENTUR, *quasi verò* INSULTANS *mortuo . . . .* Ad ostentandas res suas, ac magnificentiam & majestatem Principatus quandoque Reges proprias divitias monstrarunt, quod præstitit Ezechias legatis Assyriis: *Lætatus est in adventu eorum Ezechias*, ita liber IV. 4. Reg. XX. 13. Regum, *&* OSTENDIT *eis domum aromatum, & aurum, & argentum . . . . & omnia, quæ habere poterat in thesauris suis, non fuit, quod non* MONSTRARET *eis . . . .*: Nec prætereundum quod efficacissima est rerum ostensio pro commiseratione

 con-

Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?
RIDERIS, *multòque magìs traduceris, Afer,*
Quàm nudus medio si spatiere foro.
Non aliter MONSTRATUR *Atlas cum compare gibbo,*
Quaque vehit similem bellua nigra lybin.
Invidiosa tibi quàm sit lectica requiris?
Non debes ferri mortuus Hexaphoro.

Turneb. advers. l. XIV. cap. 16.

Quantum efficaciæ haberet in præliis elatio, seu ostensio vexillaris signi, quantasque animorum affectiones gigneret videri potest apud supra laudatum Turnebum.

III.

Res facræ, & apud illos honorabiles ostendebantur ab Ethnicis. Hic mos apud Phœnices.

Seff. 22. c. 5.

Thiers. de l'Exposit. du S. Sacrem. de l'Aut. dans la præfac.

SED si in rebus omnibus vim, utilitatemque defert non levem actio ostensionis, maximam in producendis rebus sacris eidem inesse diffiteri non debemus. Siquidem quæcumque Religio, nisi exteriora quædam instituat pietatis indicia, quibus animus sacri cultus instauret recordationem, atque ad obsequia numini debita inflammetur, sensim sine sensu elanguescit, in pejus cotidie ruit, ac tandem extinguitur: *cùm natura humana ea sit* (ita sapientissimè Patres Tridentini Concilii) *ut non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli*. Et hinc est quod, sicuti præclarè notat Thiersius in Gallico opusculo de Expositione SS. Sacramenti, *il n'y a point de Religion au monde soit vraye, ou fausse, qui n'ait des Ceremonies, & qui ne s'exerce par*

par des actions exterieurs, *& sensibles*. Has inter tamen actiones efficacissima ab omnibus semper cognita est ad bona præsertim, quæ diximus, consequenda ostensio rerum sacrarum ac venerabilium. Talem energiam licèt falsi cultores apprime noverunt ethnicorum populi, qui ferme ubique gentium diuturna consuetudine stabilierunt, ut quicquid honorabile ac veneratione aliqua dignum censerent quandoque monstrarent. Mos iste apud vetustissimos Phœnices accuratè servabatur. Etenim per urbes aliquando circumgestabant, adeoque populis ostendebant Simulacrum Numinis, quod ab illis ἀγρότης nuncupabatur, idque ut efficerent ναὸν ζυγοφορούμενον, idest, *templum portatile* ædificaverant. Adeat benignus Lector librum Eusebii de præparatione Evangelica, quo ex fragmento antiquissimi authoris facti veritatem reperiet. *Euseb. l. 1. c. 10. præpar. Evang.*

IV.

E Phœnicia in Ægyptum, quemadmodum aliquibus est exploratum, non una Cæremoniarum, & Rituum ethnicorum inventio migravit. Illorum numero adscribitur usus monstrandi Idola eâdem penè ratione servatâ. Narrat Herodotus in Isiacis festis sollemne fuisse apud aliquas Civitates simulacrum plaustro imponere, & non sine pompa e templo quodam in aliud devectare. Pauca, quæso, excerpamus de ejus narratione: *Vsus ostendendi sacra familiaris Ægyptiis.*

τὸ δὲ ἄγαλμα ἐὸν ἐν νηῷ μικρῷ ξυλίνῳ κατακεχρυσωμένῳ *Herodot. in Euterpe.*

Car-

Prin-

Oscu-

*Pag.*35. *versu* 28. *dele* Germano fratri, *&* *lege* consanguineo.

DIS-



DISSERTATIO
HISTORICO-RITUALIS.

I.



ER dictionem OSTENSIONIS quid hoc loco significari velim peropportunum judicavi in ipso Dissertationis vestibulo indicare. Aliquid ostendere multiplices complecti sensus Lexicographi celebriores, qui omnium manibus teruntur & præter illos V. Cl. Adrianus Turnebus in suis adversariis, apposite observant. Horum omissis sententiis nos ad rem nostram quidpiam ostendere nihil aliud dicimus, quàm latitans aliquid ob oculos ponere ad breve tempus, ut ipsâ sui præsentiâ animos ad aliquid valeat excitare. Exempla si velimus etymologicæ hujus usurpationis accommoda tot crediderim existimari posse, Ostensio quid. Turneb. lib. 13. c. 1.

quot ferme authorum textus mox afferentur. Actio ostendendi OSTENSIO nuncupatur.

II.

Efficacia ostensionis rerum.

IN humanis rebus maximam inesse efficaciam actioni ostensionis cum res ipsa per sese, tum veterum documenta planè demonstrant: Oculi enim nostri, quos mentis quodammodo fenestras ab aliquibus vocari scio, vix quicquam, quod ante latuit, suspexere animis ejusdem imaginem avidissimè transmittunt, & eos ad varia incitant. Tunc diversarum passionum gignitur incredibilis commotio. Mirandum hinc haud est, si plerique hac usi sunt agendi ratione, ut ad ea, quæ cuperent, quos vellent pertraherent. Pauca exempla seligenda sunt e sacris paginis, ac antiquis Scriptoribus. Ad hominum admirationem suscitandam monstrabatur in Palæstina Gigantæus ille lectus, de quo liber Deuteronomii: *Solus Rex* Deuteronom. II. 11. *Basan restiterat de stirpe Gigantum*: MONSTRATUR *lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis*. Cupiebat Judith fœmina fortissima Bethuliæ populum ad laudes Dei, gloriamque canendas vehementer impellere metu Assyriorum ob trucidatum Ducem eliminato, caput ejusdem ostendere properavit, spoliaque detracta; *Proferens*, inquit Judith. XIII. 19. sacer Codex, *de pera caput Holofernis* OSTENDIT *illis dicens, ecce caput Holofernis principis Militiæ Assyriorum, & ecce* CONOPEUM, *in quo recumbebat*.

Ir-

Irrisionis & opprobrii incitamentum reputata est aliquando actio ostensionis. Hac de caussa monstratum crediderim populis caput Saulis ab impiis Philistæis, quod narratur in libris Paralipomenon: *Cùmque spoliassent eum, & amputassent* L. I. c. X. 9.
caput . . . . miserunt in Terram suam, ut CIRCUMFERRETUR, *&* OSTENDERETUR *templis Idolorum, &* POPULIS. Ob id etiam, testante Plutarcho, Antonius suspiciendum proposuit caput, manumque Principis Romanæ eloquentiæ: Tom. I. oper. Plutb. V M. Anton. p. 924. edit. Parisina:
Κικέρωνος δὲ σφαγέντος ἐκέλευσεν Ἀντώνιος τήν τε κεφαλὴν ἀποκοπῆναι, καὶ τὴν χεῖρα τὴν δεξιάν, ᾗ τοὺς κατ' αὐτοῦ λόγους ἔγραψε, καὶ κομισθέντων ἐθεᾶτο γεγηθώς, καὶ ἀναγχάζων ὑπὸ χαρᾶς πολλάκις. εἶτα ἐμπλησθεὶς ἐκέλευσεν ὑπὲρ τοῦ βήματος ἐν ἀγορᾷ τεθῆναι κατάπερ εἰς τὸν νεκρὸν ὑβρίζων: idest: *Ciceronis jugulati jussit Antonius caput, & dexteram, qua philippicas scripserat detruncari, quæ allata exultans cachinnansque crebrò præ gaudio, ubi satiatus fuit mandavit, ut in foro* PRO ROSTRIS FIGERENTUR, *quasi verò* INSULTANS *mortuo . . . .* Ad ostentandas res suas, ac magnificentiam & majestatem Principatus quandoque Reges proprias divitias monstrarunt, quod præstitit Ezechias legatis Assyriis:
Lætatus est in adventu eorum Ezechias, ita liber IV. 4. Reg. XX. 13.
Regum, *&* OSTENDIT *eis domum aromatum, & aurum, & argentum . . . . & omnia, quæ habere poterat in thesauris suis, non fuit, quod non* MONSTRARET *eis . . . .*: Nec prætereundum quod efficacissima est rerum ostensio pro commiseratione

A 2 con-

concilianda . Hic certè fuit animus Judicis iniquiſſimi, quum Chriſtum Dominum flagris crudeliſſimè cæſum Hebræis ſpectandum tradidit . Ita S. Petro Joppenſes mulieres Tabitæ puellæ veſtes, aliaque oſtenderunt, ut defunctæ miſereretur : *Circumſteterunt illum*, verba ſunt Actuum

Act. IX. 39. Apoſtolorum, *omnes viduæ flentes*, *&* OSTENDENTES *ei tunicas*, *&* *veſtes*, *quas faciebat illis dorcas* . Commiſerationem, & iram ſimul excitaturus Romanæ plebis laceram Cæſaris veſtem ac ſanguine perfuſam monſtravit ſupra me-

Hiſtor. Rom. Appian. Alex. l. II. de bell. civil. Rom. p. 520. edit. Henric. Steph. moratus Antonius juxta Appiani teſtimonium: εὐφορώτατα δὲ ἐς τὸ πάθος ἐκφερόμενος, τὸ σῶμα τοῦ Καίσαρος ἐγύμνου, καὶ τὴν ἐσθῆτα ἐπὶ κοντοῦ φερομένην ἀνέσειε, λελακισμένην ὑπὸ τῶν πληγῶν, καὶ πεφυρμένην αἵματι αὐτοκράτορος. ἐφ' οἷς δῆμος οἷα χορὸς αὐτῷ πενθιμώτατα συνωδύρετο, καὶ ἐκ τοῦ πάθους αὖθις ὀργῆς ἐνεπίπλατο. Videlicet: *Ampliùs indulgens affectibus eò provectus* (Antonius) *eſt*, *ut Cæſaris corpus nudum detegeret veſtem pilo impoſitam* OSTENTANS *plagis laceratam undique*, *&* *Imperatoris ſui ſanguine fœdatam*; *ad quod populus velut in lugubri turba lamentabatur*, *&* *ex* LUCTU IN IRAM *commo-*

Id. ibid. p. 523. *vebatur* .... Ex eodem Appiano diſcimus adhibitam rerum oſtenſionem pro actorum approbatione curanda, favore conciliando, & ſectatoribus in aliquo attrahendis : Cæſaris enim interfectores his de cauſſis Romanæ plebi cultros oſtendebant, & ſignum quoddam recuperatæ libertatis ; καὶ τὰ ξίφη μετὰ τοῦ αἵματος ἔχοντες ἐβοηδρόμουν Βασιλέα,

καὶ

καὶ τύραννον ἀνελεῖν, καὶ πῖλον τις ἐπὶ δόρατος ἔφερε σύμβολον ἐλευθερώσεως . . . . quæ latinè ſonant : *Pugiones cruore illitos* PALAM DEFERENTES *Regem ſe , ac Tyrannum occidiſſe clamitabant , præferente quodam* IN HASTA *pileum ſymbolum recuperatæ libertatis*. Maximam vim in oſtenſione cognoverunt Oratores ; nam eâdem uſi ſunt , ſi ad aliquid Judices voluerunt omnino permovere . Id liceat colligere e ſolo exemplo Ulixis cum Ajace diſputantis coram Græcorum proceribus pro poſſeſſione armorum Achillis : quippe Judices in ſuam traxit ſententiam oſtenſione celebris Palladii, quod Trojanis dolo ſurripuerat , ob idque caſum Trojæ , ut putabatur , accelerarat . Ovidium audire præſtat ejus verba referentem : *Ovid. Metamorph.* XIII.

Jam labor in fine eſt , obſtantia fata removi ,
Altaque poſſe capi faciendo Pergama cœpi ,
. . . .
. . . .
Si Trojæ fatis aliquid reſtare putatis
Eſte mei memores, aut ſi mihi non datis arma ,
Huic date, & OSTENDIT *ſignum fatale Minervæ .*
Mota manus procerum eſt,& quid facundia poſſet
Tunc patuit . . . . .

Valet etiam actio oſtenſionis ad riſum concitandum , ſicuti concipimus e verſiculis Martialis , quibus ſtultum carpit manibus Servorum per Urbem circumvectum . *Martial. l.* VI. *epigr.* 77.

Cùm ſis tam pauper , quàm nec miſerabilis Irus ,
Tam juvenis , quàm nec Parthenopæus erat :
Tam fortis, quàm nec cùm curreret Artemidorus,

Quid

Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?
RIDERIS, *multòque magìs traduceris, Afer,*
Quàm nudus medio si spatiere foro.
Non aliter MONSTRATUR *Atlas cum compare gibbo,*
Quæque vebit similem bellua nigra lybin.
Invidiosa tibi quàm sit lectica requiris?
Non debes ferri mortuus Hexaphoro.

Quantum efficaciæ haberet in præliis elatio, seu ostensio vexillaris signi, quantasque animorum affectiones gigneret videri potest apud supra laudatum Turnebum.

Turneb. advers. l. XIV. cap. 16.

III.

Res sacræ, & apud illos honorabiles ostendebantur ab Ethnicis. Hic mos apud Phœnices.

SED si in rebus omnibus vim, utilitatemque defert non levem actio ostensionis, maximam in producendis rebus sacris eidem inesse diffiteri non debemus. Siquidem quæcumque Religio, nisi exteriora quædam instituat pietatis indicia, quibus animus sacri cultus instauret recordationem, atque ad obsequia numini debita inflammetur, sensim sine sensu elanguescit, in pejus cotidie ruit, ac tandem extinguitur: *cùm natura humana ea sit* (ita sapientissimè Patres Tridentini Concilii) *ut non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli*. Et hinc est quod, sicuti præclarè notat Thiersius in Gallico opusculo de Expositione SS. Sacramenti, *il n'y a point de Religion au monde soit vraye, ou fausse, qui n'ait des Ceremonies, & qui ne s'exerce par*

Sess. 22. c. 5.

Thiers. de l'Expos. du S. Sacrem. de l'Aut. dans la præfac.

par des actions exterieurs, & sensibles. Has inter tamen actiones efficacissima ab omnibus semper cognita est ad bona præsertim, quæ diximus, consequenda ostensio rerum sacrarum ac venerabilium. Talem energiam licèt falsi cultores apprime noverunt ethnicorum populi, qui ferme ubique gentium diuturna consuetudine stabilierunt, ut quicquid honorabile ac veneratione aliqua dignum censerent quandoque monstrarent. Mos iste apud vetustissimos Phœnices accuratè servabatur. Etenim per urbes aliquando circumgestabant, adeoque populis ostendebant Simulacrum Numinis, quod ab illis ἀγρότης nuncupabatur, idque ut efficerent ναὸν ζυγοφορούμενον, idest, *templum portatile* ædificaverant. Adeat benignus Lector librum Eusebii de præparatione Evangelica, quo ex fragmento antiquissimi authoris facti veritatem reperiet. *Euseb. l. 1. c. 10. præpar. Evang.*

IV.

E Phœnicia in Ægyptum, quemadmodum aliquibus est exploratum, non una Cæremoniarum, & Rituum ethnicorum inventio migravit. Illorum numero adscribitur usus monstrandi Idola eâdem penè ratione servatâ. Narrat Herodotus in Isiacis festis sollemne fuisse apud aliquas Civitates simulacrum plaustro imponere, & non sine pompa e templo quodam in aliud devectare. Pauca, quæso, excerpamus de ejus narratione: τὸ δὲ ἄγαλμα ἐὸν ἐν νηῷ μικρῷ ξυλίνῳ κατακεχρυσωμένῳ προ-

Vsus ostendendi sacra familiaris Ægyptiis.

Herodot. in Euterpe.

περοίκκομίζουσι τῇ προτεραίῃ ἐς ἄλλο οἴκημα ἱρόν. ὁ μὲν δὴ ὀλίγοι οἱ περὶ τὤγαλμα λελειμμένοι ἕλκουσι τετράκυκλον ἅμαξαν ἄγουσαν τὸν νηόν τε, καὶ τὸ ἐν τῷ νηῷ ἐνεὸν ἄγαλμα. Quæ ſic vertuntur. *Simulacrum ligneum ex ligneo ſacello deaurato in alias ſacras ædes pridie exportant, paucis illis, qui ſimulacri miniſterio relicti ſunt, trabentibus plauſtrum quatuor rotarum, quo vehitur* SACELLUM CUM SIMULACRO, *quod intùs eſt*. Nec ſola circumvectione ſuper plauſtra oſtendebant, quæ ſacra putabant Ægyptii. Antiqui Scriptores commemorant eoſdem quandoque Urbes pagoſque luſtraſſe manibus tenentes ac elevantes, geſtanteſque humeris, aut ſupra caput, ut viderentur, ſtatuas, inſtrumenta, aliaque penès illos ſumma veneratione culta ac cuſtodita. Ni modeſtiæ leges vetarent, producerem documenta ex hiſtoriis feſtorum Dionyſii, aliorumque, quæ Græci poſtea περιφαλλία & φαλλογία nominarunt, quorum unum deſcribit memoratus Herodotus ſignificans, quod pudendas ſtatuunculas τὰ περιφέρουσι κατὰ κώμας αἱ γυναῖκες *circumferunt per oppida mulieres*, incredibili celebritate, tibiiſque præeuntibus; ſed alia placet in propatulo exponere auribus gratiora, & primò pompam Iſiacam tota Ægypto celebratiſſimam, qua Sacerdotes ſanctiora quæque penès illos manibus, humeriſque geſtabant, ut circumfuſa populorum turba ſpectaret. Deſcriptionem hujus pompæ egregiam legimus apud Apulejum, cujus textus præcipuam partem hic apponam; eſt enim ad rem noſtram com-

Herodot. ibid. p. 122. edit. Henric. Stephan.

Apulejus Metamorph. XI. pag. 372. cum notis Floridi.

comprobandam unicè factus. *Antistites*, inquit, *sacrorum .... potentissimorum Deûm* PROFEREBANT *insignes* EXUVIAS. *Quorum primus Lucernam præmicantem claro porrigebat lumine ..... secundus manibus stolatus gerebat Altaria (idest auxilia) quibus nomen dedit proprium* De*æ summatis auxiliaris providentia. Ibat tertius attollens palmam auro subtiliter foliatam, nec non Mercurialem etiam Caducæum. Quartus Æquitatis* OSTENDEBAT *Judicium ..... Idem gerebat aureum vasculum in modum papillæ rotundatum ..... Quintus auream vannum aureis congestam ramulis, & alius ferebat amphoram. Nec mora, cùm Dei dignati pedibus humanis incedere*, PRODEUNT: *Hic horrendum attollens Canis cervices arduas: Ille superûm commeator, & inferûm nunc atrâ, nunc aureâ facie sublimis, lævâ Caducæum gerens, dextrâ palmam virentem quatiens: Cujus vestigium sequebatur bos in erectum levata statum. Erat ea Bos omniparentis Deæ fœcundum simulacrum, quod* RESIDENS HUMERIS *suis proferebat unus è ministerio beato gressu gestuoso. Ferebatur ab alio Cista secretorum capax.... Gerebat alius felici suo gremio summi Numinis venerandam effigiem non pecoris, non avis, non feræ, ac ne hominis quidem ipsius consimilem; sed solerti respectu etiam ipsa novitate reverendum altioris utcumque, & magno silentio tegendæ religionis argumentum ineffabile. Sed ad istum planè modum ferebatur fulgente auro figurata urnula faberrimè excavata fundo quàm rotundo miris extrinsecùs simulachris Ægyptiorum effigiata ..... Et ecce præstantissimi*

B Nu-

Numinis promiſſa nobis accedunt beneficia, & fata: ſalutemque ipſam meam gerens Sacerdos appropinquat .... dexterâ proferens ſiſtrum Deæ mihi coronam, & coronam Herculis conſequenter .... Hactenus Apulejus. Sed ſi lector exoptet recenſitam circumgeſtationis pompam oculis, non mente tantùm ſpectare pervolvat primum OEdipi Ægyptiaci Kircherianum tomum, ibique ferme integram hanc cæremoniam offendet è ruderibus columnæ in hortis Mediceis Pincianis tunc jacentis accuratè delineatam. Apuleji narratio ſufficere fortaſſis poſſet pro argumento noſtro ſtabiliendo, at ſingulare aliud exemplum de circumvectione ſacrorum piget omninò prætermittere. Id eveniebat in feſtivitatibus Comaſiis apud Ægyptios nuncupatis. Audiamus Clementem Alexandrinum ſequentia in ſuo opere ſtromaton adnotantem:

Kircher. p. 226.

Clem. Alexandr. Stromat. V. c. 3.

ἤδη δὲ κἀν ταῖς καλουμέναις παρ' αὐτοῖς κωμασίαις, τῶν θεῶν χρυσᾶ ἀγάλματα, δύο μὲν κύνας, ἕνα δὲ ἱέρακα, καὶ ἶβιν μίαν περιφέρουσι, καὶ καλοῦσι τὰ τέσσαρα τῶν ἀγαλμάτων εἴδωλα, τέσσαρα γράμματα. Ideſt: *jam verò* (Ægyptii) *in iis* (ſacris) *quæ ab ipſis vocantur Deorum Comaſiæ, aureas imagines, duos quidem canes, unum accipitrem, & Ibin unam* CIRCUMFERUNT: *& quatuor imaginum ſimulacra vocant quatuor literas ....* Hæc Clemens Alexandrinus. Quid hæ ſtatuæ ſignificarent videat Lector apud eundem.

Ab

V.

AB Ægypto in Græciam, & finitimas regiones invectus est Ritus Sacra, ac superstitiosè venerabilia monstrandi. Pauca documenta proferamus. Phrygii celeberrimum agebant festum Idææ Matris. Verùm sollemnitatis præcipuum scimus munus fuisse simulacrum Turriti Numinis summâ religione cultum per urbes circumferre ab omnibus suspicandum, adorandumque. Omissis Græcorum authoritatibus e scriptoribus Latinis satis est si nonnulla testimonia eruantur. Lucretius illicò sese offert:

Græci, & finitimi populi sacra, & honorabilia ostenderunt.

Lucret. l. II. v.606.

. . . . *Muralique caput cinxere coronâ*
Eximiis munita locis, quòd sustinet Urbes,
Quo nunc insigni per magnas prædita terras
HORRIFICE' FERTUR *divinæ Matris* IMAGO.

Idem concinniùs canit Virgilius in Æneide:

Virgil. Æneid. VI.

. . . . . . *Qualis Berecynthia Mater*
INVEHITUR CURRU *Phrygias turrita per Urbes*.

Athenis, ubi Minervæ nomen impensè colebatur, quolibet quinquennio honoratum Peplum, quod Divæ gesta graphicè repræsentabat, maximâ cæremoniâ, innumeris gentibus spectantibus, circumgestabatur. Ex Græcis Authoribus apertam Pepli mentionem faciunt Plato, Euripides, ejusque Scholiastes, aliique, quos congerunt Viri de Literariâ republicâ meritissimi Meursius in variis opusculis, & Castellanus in libello de festis Græcorum. Adeo verò celebris erat apud omnes Nationes fama hujus ostensionis, ut Romani Scripto-

Plat. in Euryphrone. Euripid. in Hecub v.466. Meurs. in Panath c.XVII.& XVIII. & alibi. Castellan. de fest. Græcor. in ΠΑΝΑΘ.

Plaut. Mercat. act. 1. scen. 1. v.66.

ptores de eâ meminerint sæpissimè. Inter illos Plautus hæc scribit in suo Mercatore:

Neque nisi QUINTO *quoque* ANNO *posse invisere*,
Atque extemplo inde ut SPECTAVISSEM PEPLUM
Rus rursum confestim exigit solitum à Patre.

Virgil in Ciri.

Virgilius ita in uno ex opusculis:

Sed magno intexens si fas est dicere PEPLO,
Qualis Erecthæis *olim* PORTATUR *Athenis*,
Debita cùm castæ solvuntur Vota Minervæ,
Tardaque confecto redeunt quinquennia lustro.

Meurs. de Ceter. Eleus. Sacr. ac fest. cap. 1.

Aliud quoque sacrum insigne celebrabant Græci. Illud erat festum Eleusiniæ Matris, cujus majestatem prosequitur citatus Meursius singulari libello. Plurimis scatebat Cæremoniis, ac Ritibus. Horum non infimus habebatur mos ostendendi sanctiora quædam: siquidem iis, qui initiabantur, varia monstrari consuetum fuisse planè cognoscimus ex Dione Chrysostomo, ac Themistii operibus. Hæc verò spectandi cæremonia αὐτοψία dicebatur: vide Proclum in Platonis Theologiam. Quæ, & quàm superstitiosa ostenderentur enucleat Meursius in citato libello, quem adeat quicumque græcanicam diligit penitiorem eruditionem. Nec tacendum quod, quum sacra per totam Græciam Bacco celebrarentur, in cistis varia mysteriisque plena sive signa, sive instrumenta circumferebantur, sicuti eruditè animadvertit Julianus Floridus in Adnotationibus ad Metamorphoses Apulejanas, id verò præcipuè ait significari per ea carmina Catulli.

Dio Chrys. orat. XII. Themist. in orat. ad Patrem. Procl. lib. 3. c XIII. Meurs. ibid. cap. XI.

Florid. not. in Apul. Metamorph. VI. pag. 174. Catull. Argonaut.

Pars obscura cavis celebrabant orgia Cistis,

Or-

Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.
Possem his omnibus jungere ostensionem scuti Aristodemonis, quod summo in honore, ac veneratione apud Thebanos habebatur; sed, satis quum sint ad probandam Græcorum consuetudinem, quæ diximus, hortarer lectorem, ut Pausaniæ Messenica adiret, ibique caussam, & historiam hujus ostensionis scrutaretur.

Pausan. Messen. l.IV. c.32.

VI.

Usus ostensionis sacrorũ, ac perperàm venerabilium apud ethnicos Romanos.

QUODSI ad profanas Romanorum celebritates, ac mores animum convertamus, usum ostendendi, quæ perperàm venerabilia reputabant, apud illos viguisse comperiemus. Egregium ostensionis documentum hauritur e sollemnitate Ludorum Circensium. In illis circumgestabantur, atque ita monstrabantur varia Divorum simulacra, quod nobis patet testimonio Tertulliani: *Qualiscunque*, inquit, *Pompa Circi*, *etsi pauca* SIMULACRA CIRCUMFERAT, *in uno Idololatria est*. Certum tamen est circumlatum agmen simulacrorum, dicente Ovidio:

Tertull. l. VII. de Spectacul.

Ovid. IV. Fastor.

Circus erat Pompâ celebris, NUMEROQUE *Deorum.*
Hanc pompam, & numerum Deorum, quorum simulacra portabantur, alibi diligentissimè ob oculos ponit idem Ovidius. Placet versiculos hìc dare eâ præsertim ratione, quia plura colligit Poeta ex aspectu simulacrorum ad religionem, & cultum Numinum incitamenta animorum; atque ita caussam instituendarum ostensionum apud omnes

nes

Idem Eleg. 2. l. III. Elegg.

nes Nationes quisque comprehendet. Ecce itaque Ovidium simulacra ante se, populumque innumerabilem prætergradientia talibus exhibentem.

Sed jam POMPA VENIT; *linguis,*ANIMISQUE *favete:*
Tempus adest plausus : AUREA *pompa venit.*
Prima loco FERTUR *sparsis Victoria pennis,*
Huc ADES, *atque meus fac Dea vincat amor.*
Plaudite Neptuno, nimiùm qui CREDITIS UNDIS,
Nil mihi cùm Pelago, me mea terra capit.
Plaude tuo MILES *Marti* : *nos abdimus arma,*
Pax juvat, & mediâ pace repertus amor.
AUGURIBUS *Phœbus*: *Phœbe* VENANTIBUS *adsis*:
ARTIFICES *in te verte, Minerva, manus.*
AGRICOLÆ *Cereri, teneroque assurgite Baccho,*
Pollucem PUGILES, *Castora placet* EQUES.
Nos tibi, blanda Venus, puerique potentibus armis,
Plaudimus, inceptis annue, Diva, meis.

Tacit. l. III. Annal.

Hæc simulacra quandoque gestabantur humeris hominum, quemadmodum declarat Tacitus in Annalibus, *extremum*, inquiens, *pompæ agmen claudebant Deorum simulacra, quæ* HUMERIS BAJULABANTUR *à viris, eamque præferebant formam, qua finguntur apud Græcos*. Quandoque vehebantur in Thensis, si credimus Servio. De his vehiculis legatur eruditus planè liber Schefferi totis viribus rem vehicularem discutientis. Ex illo etiam accipies non sola simulacra in similibus pompis gestata, sed Deorum exuvias, insignia, quicquid denique eorum cultum augere potuisset. Varias circumlationes simulacrorum habes

Serv. in Virgil. l. I.
Scheffer. de re vehic. l. II. c. 24. p. 300. & seqq.

bes apud memoratum Tacitum, Svetonium, ac Dionem. Prætereà celebris Romæ erat ostensio Ancyliorum, quæ tamquam cœlo lapsa (ut somniabant) incredibili veneratione prosequebantur Quirites, ac veluti Imperii firmamenta summâ curâ custodiebant. Hæc scuta certis temporibus per Urbem ferebantur, sicut author est Livius, ubi agit de Numa Rege fabulæ, ac Cæremoniæ inventore: *Numa*, inquit, *salios duodecim Marti Gradivo legit* .... COELESTIAQVE ARMA, *quæ ancylia appellantur* FERRE, *ac* PER VRBEM IRE *canentes carmina cum tripudiis*, *solemnique saltatu jussit*. Memorat hunc ritum Ovidius in Fastis. *Tacit. lib.* II. *Annal.* *Sueton. in Aug. & in Tito.* *Dion. l.* XVIII. *Liv. l.* I. *Decad.* I.

Quis mihi nunc dicat, quare cœlestia Martis
ARMA FERANT *salii, Mamuriumque canant?* *Ovid. Fast. l.* III.

Delationem quandam Ancyliorum recenset Valerius Maximus, ad quem lectorem remitto. Aliud hujus consuetudinis argumentum apud Romanos suppeditat libellus XII. Epigrammaton Martialis. Quum existimasset vates lepidissimus aliquid divinum ac venerabile residere in Trajani personâ, imo Cæsarem ipsum jamdudum Diis adscriptum, edidit nobile endecasyllabon, quo dignum declaravit, qui populis monstraretur, veluti admirationem, ac *venerationem* capturus, juxtà Domitii Notas: en versiculi: *Valer. Max. l.* I. *c.* I. *Martial. l.* XII. *epigr.* 8. *cùm not. Varior.*

Terrarum Dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum,
Trajani modò læta cùm futuros
Tot per sæcula computaret annos,
Et fortem, Juvenemque, Martiumque,

In

In tanto Duce Militem videret ,
Dixit Præside gloriosa tali ,
Parthorum proceres , Ducesque Serum ,
Thraces , Sauromatæ , Getæ , Britanni ,
POSSUM OSTENDERE CÆSAREM , *venite .*

Senec. ep. LXIV. edit. patav. Nec silendum videtur , quod Romani Magnates , qui majorum memoriam superstitiosè venerabantur , illorum imagines , tamquam *Animi incitamenta* , sicut rectè vocantur à morali Philosopho , cerâ effictas Thecis occultatas festis diebus , aut lætioribus secundùm Lipsii distinctionem (Lips. lib. Elect. cap. XXIX.) in apertum proferebant , ut spectarentur . Hunc morem certò attingit (ne quid dicam de Seneca (Senec. lib. III. de Benef. cap. 28. edit. Patav.) in libro de Beneficiis , ubi loquitur de iis , qui *imagines in atrio* EXPONUNT) Juvenalis illis versibus : (Juvenal. satyr. VIII.)

Stemmata quid faciunt , quid prodest , Pontice , longo
Sanguine censeri , pictosque OSTENDERE *vultus*
Majorum , & stantes in curribus Æmilianos ,
Et Curios jam dimidios , humerisque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis, nasoq; carentem?
. . . .
. . . .
Tota licet veteres exornent atria CERÆ ,
Nobilitas sola est , atque unica virtus .

In armariis , seu thecis custoditas cereas hasce effigies docemur à Plinio : *expressi* , inquit , *cerâ vultus in* ARMARIIS *disponebantur* . (Plin. l. XXXV.) Quod verò ostenderentur diebus supra indicatis triplex authoritas affirmat . CiceRo in una ex orationibus (Cic. pro Sulla.) cla-

clamat: *Domus credo erit exornata*: APERIENTUR *majorum imagines*. Tullio adstipulatur Seneca in libris controversiarum: *Indicit* DIEM FESTUM, APERIRI *jubet majorum imagines, cùm maximè tegenda sunt*. Vopiscum etiam audiamus: *tantùm illud dico Senatores omnes* LÆTITIA *esse elatos .... Imagines frequentes* APERIRENT, *Albati sederent*. Neque quisquam judicet non ad cultum, sed ad ostentationem nobilitatis solùm, aut ad recordationem majorum fovendam imagines ostensas, nam testimonium contrarii apertissimum habeo Minutii Felicis Rituum ethnicorum sagacissimi investigatoris, qui ait, *dum Reges suos colunt religiosè, dum* DEFUNCTOS *eos desiderant* IN IMAGINIBUS VIDERE, *dum gestiunt* SUORUM MEMORIAS IN STATUIS *detinere*, SACRA FACTA SUNT, *quæ fuerunt assumpta solatia*. Hæc eximiè Minutius.

Sen. c. l. VII. Contr. VI.

Vopisc. in Floriano.

Minut. Felix in Octavio.

VII.

AT non tantùm Ethnicis veræ Religionis expertibus suorum venerabilium ostensio placuit, quinimo Hebræos persuasum mihi est olim ab hac cœremonia non abhorruisse. Duo producam opinationis meæ argumenta non levia. Horum primum suggerit Moses, celebris ille Dei interpres, legislator ac Ductor Judaicæ gentis, qui sacras Tabulas tremendo Numinis digito exaratas populo ostendit. Siquidem, iisdem receptis, descendere incipiens e Monte Sina, noluit populum in radicibus dispositum tanti pignoris intuitu

Variæ ostensiones rerum honorabilium apud Hebræos.

 pri-

privari. Hinc est, quod actu ostendentis manibus gestans pretiosum thesaurum pergere voluit in castra. Duplex textus sacri Codicis antiqui fœderis rem pandet: *Reversus est Moyses de Monte*, ita liber Exodi, PORTANS *duas Tabulas testimonii* IN MANU SUA *scriptas ex utraque parte, & factas opere* DEI, SCRIPTURA *quoque* DEI *erat sculpta in Tabulis*. Alio loco hæc de seipso Moses: *Cùmque de Monte ardente descenderem, & duas Tabulas fœderis* VTRAQVE TENEREM MANV: *vidissemque vos peccasse Domino Deo vestro, & fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam ejus, quam vobis ostenderam, projeci Tabulas de manibus meis, confregique eas* IN CONSPECTV VESTRO. Ex his verbis manifestò vides, quàm sacræ forent Tabulæ, & verè easdem ante conspectum populi à Mose fuisse propositas. Exemplum secundum ostensionis sacrorum apud Hebræos bene colligi potest e multiplici translatione Arcæ Domini mysteriorum fœcundæ Matris. Quid enim aliud est sollemnis translatio, nisi perpetua quædam, longoque itinere producta ostensio? Et quidem Arca, siquando translata est, non obscurè, aut clam, sed omnium oculis conspicanda devehebatur maximâ Rituum celebritate, Regis præsentiâ ac saltatione, procerum innumerique populi stipante caterva. Duæ celebres translationes Arcæ occurrunt sacras paginas pervolventi. Prima in libro II. Regum, quum scilicet e domo Aminadab ad domum Obededom delata fuit, quæ sic describitur: *Surrexit David, & alii, universsque*

Exod. XXII. 15. 16.

Deuteron. IX. 15. 16. 17.

II. Reg. VI.

que populus, qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent Arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum sedentis in Cherubim super eam, & imposuerunt Arcam Domini SVPER PLAVSTRVM, TVLERVNTQVE *eam de domo Aminadab .... Oza autem & Abio filii Aminadab minabant plaustrum. Cumque tulissent eam de domo Aminadab ... Custodiens Arcam Dei Abio praecedebat Arcam. David autem, & omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & cytharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis.* Altera Arcæ translatio, nempe quùm elapsis tribus mensibus in civitatem David est illata, singulariter describitur in libris Paralipomenon his verbis: *Sanctificati sunt Sacerdotes, & Levitæ, ut portarent Arcam Domini Dei Israel. Et* TVLERVNT *filii Levi Arcam Dei, sicut præceperat Moyses juxta verbum Domini humeris suis in vectibus: Dixitque David Principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis Cantores in organis Musicorum ... Igitur David & omnes majores natu Israel, & Tribuni ierunt ad deportandam Arcam fœderis Domini de domo Obededom cum lætitia .... Porro David erat indutus stolâ byssinâ, & universi Levitæ, qui* PORTABANT *Arcam, Cantoresque, & Chonenias princeps prophetiæ inter Cantores: David autem etiam indutus erat ephod lineo: Universusque Israel* DEDVCEBANT *Arcam fœderis Domini in jubilo, & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis, & cytharis concrepantes.* Hactenus sacræ Paginæ. Duo hæc ostensionum

1. Paralip. XV.

exempla disertè, ut mea fert opinio, significant Hebræos, quod haberent sacrosanctum, non inutile reputasse, si ab omnibus aliquando spectaretur.

VIII.

Usus apud Christianos Catholicos ostendendi sacra probatur exemplo SS. Eucharistiæ.

UT verò ad Christianorum consuetudines, ritusque tandem deveniamus, compertum habemus moris esse antiquissimi Ecclesiæ Catholicæ sanctiora quæque, ac majorem poscentia venerationem quandoque spectanda proponere. Non quidem quod ita imitari velit vanissimas ethnicorum superstitiones, aut Judaicas jam obsoletas cæremonias, sed quod putet sapientissimè hunc ritum maxima cum fidelium utilitate adhiberi posse. Enimvero nihil extat in orbe Catholico honorabilius, augustius nihil, denique nihil efficacius ad suscitandam memoriam summi beneficii redemptionis, ac spem futuri boni Pane sanctissimo Eucharistiæ. Porro quis nescit à vetusto tempore morem in Ecclesia inductum tantum thesaurum ostendendi expositum super altaria? De hoc genere ostensionis Eucharistiæ (sunt enim & alia genera, quæ mei propositi non est hic expendere) videat lector absolutissimam elucubrationem Thiersii, quàm supra commemoravi.

Thiers de l'Exposition du S. Sacrem. de l'autel.

Po-

IX.

Sacr. Reliquiæ ostenduntur variis modis. Quæ ostēsio Reliquiarum, de qua disserimus.

POST augustissimum Altaris Sacramentum principem locum tenent apud Catholicos inter venerabilia pretiosæ RELIQUIÆ, quæ ut plurimùm *In vestibus*, *in pulvere*, *& in ossibus* consistunt, quemadmodum aptè distinguit Theofridus Abbas. Illæ itaque e locis, quibus occultantur, susceptæ consuetudo invaluit vetustissima, ut suspiciendæ exhibeantur. Multiplex tamen Ritus est ostensionis: Interdum ostenduntur sacra pignora exposita super altaria, interdum longo itinere translata, interdum per urbes circumvecta; quæ quidem certissima sunt genera ostensionum: alius verò reperitur monstrandi modus, qui propriè Reliquiarum OSTENSIO usu quodam dicendi, ac rei ipsius veraciori significatione passim nuncupatur. Is contingit, quum alicujus ope Ministri e latibulis eruuntur, & manu elata oculis spectantium lipsana objiciuntur. Cæteris omissis ostensionum generibus, quæ singula peculiarem sibi libellum poscerent ac mererent, de hoc postremo tractationem attexímus.

Theof. Abb. serm. II. de venerat. SS. in Bibl. PP. Lugdun. to. XII.

X.

Quot caussæ ostensionis Ritus instituendi, ac servandi.

ANTE tamen omnia investigare operæ pretium duco, quibus de caussis ab Ecclesiæ Catholicæ Præsidibus usus ostendendi Reliquias fuerit institutus, maximâque curâ toto seculorum

de-

decurſu ſervatus. Cauſſa quidem duplex mihi ſemper viſa eſt, altera, quæ commune habet natale cum cæteris ſollemnitatibus pro cultu Sanctorum pignorum adinventis, altera, quæ illum ſingulariùs pertingit.

XI.

Pietas populorum erga Sacr. Reliquias. *Baron. tom. III. Annal. ad ann. 1304. n. CXIII.*

QUUM PRIMÙM *Eccleſia à perſecutionum anguſtiis* (utor libentiſſimè Baronii phraſi de ſimili re differentis) *in altum libertatis campum proſiluit*, fideles, qui ſacras Reliquias honoribus pro temporum ratione quidem ampliſſimis, ſed pro voluntate modicis antea fuerant venerati inaudito fervore in earum cultum profuſi ſunt. Admirationem pariunt, quæ leguntur de templis ſuper illas magnificentiſſimè extructis, de concurſu ad Baſilicas, quæ Crucis Dominicæ partes aſſervabant, de frequentiſſimis peregrinationibus ad MM. ſepulchra, de cura ac diligentia, ut e Cryptis ſeu Cœmeteriis Sanctorum corpora effoderentur, aliiſque id genus, quæ paſſim Catholici Authores doctiſſimi enumerant, & ab Hæreticorum calumniis piè ſolidèque vindicant.

XII.

I. Cauſſa oſtendendi conſervatio cultus Reliquiarum.

TANTA ut pietas Chriſtianorum incenderetur cotidie potiùs, quàm frigeſceret ſedulò elaborarunt Eccleſiarum Antiſtites: ſollemnia plu-

plura, ritusque instituerunt, quorum præsidio incolumis perstaret. Notissima sunt festa in honorem Crucis decreta, convivia ad Martyrum tumulos, vigiliæ, laudationes sanctorum, cæteraque ea ratione excogitata, ne unquam Reliquiarum cultus minueretur. Hæc certè una ex caussis credenda instituendæ earundem ostensionis. Neque temerè id à me dictum probat authoritas Sancti Caroli Borromæi. Animadverterat Beatiss. Archiepiscopus sensim evanuisse populi devotionem erga Clavum Domini in fastigio magnæ Mediolanensis Ecclesiæ collocatum: quum verò spiritalis hujus detrimenti originem esset perscrutatus, nullam aliam dixit assignandam caussam, quàm quòd raro nobilissimum Redemptionis nostræ monimentum multitudini ostenderutur: *Considerò*, ita Glussianus in ejus Vita, *S.Carlo, come il sacratissimo Chiodo di N.S. che si conserva in questo Duomo di Milano, non era tenuto in quella* VENERAZIONE, *e* DEVOZIONE *del popolo, che li pareva conveniente essendo una reliquia tanto principale, e questo* PERCHE' DI RARO SI MOSTRAVA *al publico* . . . . . Hæc Glussianus.

Glussian. Vit. Ital. S. Carol. lib IV. c. 12. pag. 218. edit. 1610.

XIII.

ALIA, & quidem singularior caussa sacra lipsana proferendi reputanda Episcoporum cognitio, quòd uberrima bonorum seges ab animis fidelium colligeretur ex illorum aspectu. Quantum utilitatis præstaret mentibus Christiano-

II. Caussa utilitas ab aspectu Reliquiarum.

norum intuitus vivificæ Crucis, quum Hierosolymis ostenderetur, percipi potest lectione sermonum Andreæ Cretensis in die Exaltationis multoties inferiùs citandi. Quæ bona ἀπὸ τῆς θεωρίας μόνης Reliquiarum Sanctorum in animum influant, eleganter describit S. Johannes Chrysostomus, ubi agit de laudibus S. Ignatii Antiocheni. Alibi etiam laudatissimus Pater utilitatem commemorat hujus aspectus. In libello contra Gentes incitamentum esse indicat ad imitationem Sanctorum his verbis: ἡ γὰρ ὄψις τῆς λάρνακος εἰς τὴν ψυχὴν ἐμπίπτουσα, καταπλήττει αὐτήν, καὶ διανίστησι: *Capsæ siquidem* ASPECTUS ANIMAM *inundans*, *ipsam* PERCELLIT, *& excitat*. Sed clariùs sese explicat in Elogio Sancti Juliani Martyris pulcherrimâ adhibitâ comparatione, quam non possum mihi temperare, quin integram excribam. εἰ ὅπλα τις ἀγωνιστοῦ βλέπων ᾑμαγμένα, ἀσπίδα, καὶ δόρυ, καὶ θώρακα, κἂν ἁπάντων νωθρότατος ᾖ, εὐθέως ἐξάλλεται, καὶ θερμότερος γίνεται, καὶ πρὸς τὸν πόλεμον ἐκπηδᾷ, ἀπὸ τῆς ὄψεως τῶν ὅπλων λαβὼν παράκλησιν πρὸς τὸ τοῖς αὐτοῖς ἐπιχειρῆσαι πράγμασιν. ἡμεῖς οὐχ ὅπλα ὁρῶντες, ἀλλ' αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ ἁγίου τὸ καταξιωθὲν αἷμα θῆναι διὰ τὴν εἰς Χριστὸν ὁμολογίαν, κἂν ἁπάντων ὦμεν δειλότεροι, πῶς οὐ πολλὴν ἕξομεν προθυμίαν, ὥσπερ τινὸς πυρὸς τῆς ὄψεως ταύτης εἰς τὴν διάνοιαν ἡμῶν ἐμπιπτούσης, καὶ πρὸς τὸν αὐτὸν ἀγῶνα καλέσης ἡμᾶς; quæ ita vertit Ducæus, *Si Bellatoris arma cruentata quis cernens, clypeum, hastam, & lo-*

Andr. Cret. ser. I. & II. in Exal. S Crucis to. 10 Bibl. PP. Lugdun.

S. Jo. Chrysost. to. I. Hom LXII. *edit. Front. Ducæi.*

Ibid. in libell de S Babyla contr. gent.

Ibid. in Homil. XXVII. *de S. Jul.*

loricam licèt omnium sit ignavissimus statim exilit, exardescit, & ad bellum promptiùs emicat, atque in conspectu armorum sumit animum, ut easdem actiones aggrediatur; nos qui non arma, sed CORPUS *ipsum* CERNIMUS *Sancti, quod dignum habitum est, ut ob Christi confessionem cruentaretur, licèt omnium simus timidissimi, quî possumus non ad summam promptitudinem animi exardescere, cùm hic* ASPECTUS *velut ignis quidam in mentem incidat, qui ad idem nos certamen* INVITET? Cæterum Ecclesiæ præcipuam intentionem fuisse, quum Reliquiæ spectandæ proponerentur, ad imitationem Sanctorum impellere habes ex actis Concilii Moguntiaci A. D. MDXLIX. celebrati: *Reliquias*, inquiunt numero XLIII. *Sanctorum in Ecclesiis nostris vel ob id* PROPONENDAS, *& religiosa pietate venerandas, ut per eas fideles commoniti* DISCANT *virtutes, & Sanctorum fidem* IMITARI. Utilitatem aspectus Catenæ S. Petri, quæ Constantinopoli populo monstrabatur, collige ex oratione apud Surium Proclo inscribenda juxta opinationem Baronii.

Concil. Mogunt. to. XIV. Concil. Labb.

Sur. ad d. 1. Aug. Baron. ad an. 439.

XIV.

NON negarim alias quoque caussas sacris Præsidibus placuisse, ut reliquias ostenderent, quod ex infra dicendis constabit, sed illas extrinsecas esse, & arbitrariis ostensionibus tribuendas censeo, non vero intrinsecas & frequentiori Ecclesiæ praxi accommodatas, quæ du-

Aliæ caussæ. Antiquitas nostri Ritus.

plici ex allata ratione ortum duxit. Sed age singula, quantum fas est perspicuè, & materies exigit breviter expendantur, quæ considerari possunt circa propositum Ritum, cujus institutionem ad primam pacatæ Ecclesiæ ætatem revocari posse in controversiam cadere nequit. Siquidem nonnulla inferiùs adducenda testimonia vetustiora secula hanc tenuisse consuetudinem non obscurè significant, sicuti lector agnoscet. A temporibus ad ostensiones hujusmodi designatis sermonem ordiamur.

X V.

Temporà, seu occasiones ostēdendi Reliquias. Et primo ostendebantur statutis diebus.

S. Paulin. ep. II. ad Severum. Andr. Cret. ser. 2. loc. cit. ex vers. Combefis.

Georg. Cod. Curopal. de off. c. 14. num. XXV. edit. Reg. Paris.

Bzov. tom. I Contin. Annal. ad an. 1216. n. 15.

Henr. de Herph. apud Panvin. de Cœm. cap. XV. de Translat.

Mos apud veteres viguit ad nos cum cæteris deductus, ut monstrarentur sollemniter Reliquiæ statis diebus. Ita Hierosolymis promebatur peculiari tempore pretiosissimum Crucis Lignum, quod notum fit ex S. Paulino, Andræa Cretensi, aliisque, quorum verba alibi afferentur. Cpoli portio ipsius vivificæ Crucis suis pariter diebus publicæ venerationi manu Antistitum proferebatur, prout scribit Curopalates. Veronicam ostendi statis diebus in Basilica Vaticana sanxerunt Romani Pontifices, quos inter præcipuè Urbanus V. quod liquet ex ejus Epistola Jacobo Episcopo Aretino transmissa in Annalibus Bzovii descripta. Concilium Aquisgranense, de quo loquitur Henricus de Herphordia apud Panvinium in libello de Cœmeteriis, mandavit, ut Reliquiæ ex Oriente Carolo Magno oblatæ quotannis statuto die mon-

monſtrarentur. Norimbergæ olim *annuè* oſtenſas Reliquias clarè affirmat Trithemius, cui conſonat inter multos Aventinus alibi referendus. Variæ Domini Reliquiæ aliquando oſtendebantur quolibet anno Viennæ in Galliis, quemadmodum narrat Ferrandus in diſquiſitione Reliquiaria: eo etiam ſcribente ſcimus Anicii perpetuò certis diebus produci Chriſti Mantile. Romæ nemo neſcit SS. Apoſtolorum Capita e majorum inſtituto in Eccleſia Lateranenſi, aliaſque Reliquias in eadem, cæteriſque Baſilicis ſingulis annis decreto tempore efferri, juxta teſtimonium omnium Authorum de Rebus Romanis ſcribentium, & omnium, quotquot in alma Urbe vivunt. Alia ſuper his exempla infra colligi poſſunt.

Tritbem. ad an. 1360.

Ferrand. diſqu. Reliq l. 1. cap. 1. ſect. 6. p. 55. edit. Lugdun.

Panvin. de 7. Urb. Eccl. Severan. in ſimil. op. aliique.

XVI.

AD alia properantes diſcutienda tempora pro ſtatutis temporibus priùs notare debemus morem vetuſtiſſimum Eccleſiæ fuiſſe, ut non integra Sanctorum corpora quandoque ſub altaribus conderentur, ſed partes aliquæ eæque interdum nobiliores in thecis aſſervarentur extra tumulos, quæ poſtea certis diebus proferebantur venerationi populorum. Hunc morem probat authoritate Gaudentii Signius de re Reliquiariâ ſcriptor benemeritus in ſuo notiſſimo opuſculo, & ante illum Eminentiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Parens præcipuè teſtimonio ethnici authoris, cujus locum hìc adducam, quia non ſolùm

Vt plurimum Reliquiæ ſtatis diebus oſtendendæ in thecis aſſervabantur. Antiquitas Ritus oſtenſionis.

Sign. de Reliquiis. cap. 41.

Baron. tom. IV. Annal. ad ann. 389. n. 81. 82.

vetuſtatem hujuſmodi conſuetudinis evincit, ſed apprime uſum antiquiſſimum exprimit Eccleſiæ oſtendendi ſacras Reliquias. *Ii namque* (ſic impius Sardianus Monachorum Chriſtianorum irriſor procaciſſimus) *condita, & ſalita eorum* CAPITA, *qui ob ſcelerum multitudinem*) tales vocat innocentiſsimos Martyres) *à Judicibus extremo ſupplicio fuerant affecti* PRO DIVIS OSTENTABANT: IIS GENVA SVBMITTEBANT. ...... Hæc ille pro re noſtra. In reliquis opportunitatibus oſtenſionum, de quibus inferiùs, modò integra corpora, modò eædem aſſervatæ partes monſtrabantur: quæ dicta volo pro majori dictorum, dicendorumque luce.

Sard. V. Philoſoph. in Ædeſio ap. eund.

XVII.

Oſtendebantur Reliquiæ in Trāſlationibus, & Inventionibus.

OSTENDEBANTUR quoque ſacra Pignora, quum ſollemnes acciderent Translationes, aut Inventiones eorumdem. Talium oſtenſionum documenta varia ſeligam notatu digniſſima. Bello Perſico confecto Hieroſolymis reſtituit Domini Crucem Imperator Heraclius. Translatione completa publicè illam oſtenſam eſſe ab Antiſtite prodit Suidas. S. Eligius Noviomenſis Epiſcopus, quemadmodum ejus Vita, quæ conſcripta creditur à B. Audoeno clarè narrat, invento Corpore S. Piatonis Martyris populis cum eodem reperta Martyrii indicia oſtendit. hæc cap. VII. lib. II. *ſimili modo grandi labore, atque inſtantia invenit in territorio Medenatenſi vico Siclinio S. Martyrem Piatonem. Cui ſimiliter clavos oblongos ex corpore abla-*

Suid. V. Heracl.

S. Audoen. apud Sur. to. ult. d. 1. Decemb. p. 73.

ablatos populis in argumentum MONSTRAVIT. Reliquiæ à Carolo Magno Aquisgrani collocatæ sub ipso translationis tempore, affirmante citato Henrico de Herphordia, monstratæ sunt. Anno circiter MCLXI. inventæ sunt, translatæque Reliquiæ S. Virginis Aldegundis. Scriptor historiæ hujus translationis Hadrianus Malbodii Præpositus, quæ sequuntur inter alia adnotavit: *Accessit propius Cameracensis* EPISCOPUS (Nicolaus) *manu tractans, & unum de pedibus corio imputrescibili . . . à corpore segregavit, &* SVSTVLIT, *& omnibus adstantibus* OSTENDIT . . . . Infra verò subdit, *similiter & caput sanctum maxima ex parte cute incorruptibili coopertum* SVSTVLIT, *&* OSTENDIT. Hæc Hadrianus. Dum incredibili pompa transferretur Parisios A. D. MCCXXXIV. sub S. Rege Francorum Ludovico Spineum Christi Diadema, populorum multitudini immensæ monstratum est. Hoc habemus ex historia hujus translationis, quam jussu religiosi Principis concinnavit Galterus Præsul Senonensis, cujus textum mox adducemus. Celebris ostensio occurrit in lectione Annalium Vaddingi ad annum MCCCXCVIII. quum inventæ sunt ac translatæ plurimæ SS. Reliquiæ: historiam ex eodem audiamus: *hoc anno*, inquit, *VII. Kal. Julii Frater Jacobus Dachever Minorita Andechusii in Bavaria sacra multa, & insignia . . . . .* INVENIT, *& magna sollemnitate Monachium* TRANSLATA SVNT, *indicto postea Jubilæo eâ in Urbe à Benedicto XIII. ex Boemia, universaque Germania frequens populus quotidie coibat. Sexaginta hominum*

Henric. de Herph. ap. Panv. c. cit.

Hadrian. Præp. Malbod. histor. translat. S. Ald. ann. 1161. apud Bolland. ad d. 30. Januar.

Galter. Cornut. hist. translat. sp. Coronæ ap. Duchesn. tom. V. script. Franc. p. 407. & seqq.

Vadding. Annal. minor. tom. IV. ad ann. 1398. n. VIII. p. 277.

num

num millia quotidie confluxisse in acta relatum est; durante plenaria remissione peccatorum per menses V. universoque populo INVENTA *sacra ter in septimana* MONSTRABANTUR. Prætereundum non videtur, quod S.Hidelfonsi Antistitis Toletani Corpus Zamoræ inventum A. D. MCCCC. *cunctis ostensum est*, prout significat Author historiæ ejus inventionis apud Dacherium, & Mabillonium in actis SS.Ordinis Benedictini. Scriptor posterioris translationis corporis memoratæ Virginis S. Aldegundis, quæ contigit anno MCCCCXXXIX. sic ostensionem exculpsit: *Præsul venerabilis Caput sacratissimum Virginis manibus gestans spectanti multitudini* NUDUM OSTENDIT: paullò post: *assumpto Corpore & de locello elevato omni spectanti populo* PATENTER OSTENDIT. Hæc Anonymus historicus. Pius II. qui Caput S. Andreæ Apostoli transtulit de Ecclesia S.Maria de Populo in Templum Sancti Petri, illud multitudini ostendit. Postquam Paulus V. novum Odæum construxisset Reliquiis ostendendis in Basilica Vaticana, fuerunt in illud translatæ anno MDCVI. postridie Kal. Martias eodemque momento populo monstratæ: hoc fatetur instrumentum super translatione confectum penès Annales Bzovianos impressum. Nostra ætate, nempe anno MDCXCVIII. Cardinalis Ursinus Beneventanus Archiepiscopus in Ecclesia Cathedrali Reliquias invenit, dum Synodum II. provincialem celebraret: Populus supplex Antistitem suum rogavit, ut illas spectandas exhiberet: annuit piissimus Cardinalis, & sollemni ostensione pietati

Tom. 2. act. SS. Ordin Bened. ex recens. Mabill.

Anonym. Script. histor. translat. S. Aldegun. ann. 1439. c.3 nu. 8. ap. Bolland. loc. cit.

Comment. Pii II. lib. 8. p. 200. edit. an. 1614.

Bzov. loc. cit.

tati subditorum satisfecit: Acta Beneventanæ hujus Synodi luculentum rei præbent testimonium. Non pauca præter hæc exempla ex dicendis accipies.

Acta II. Synod. prov. Benev. impress. an. 1698.

XVIII.

CONSUETUM pariter Reliquias ostendere, quum præsides Ecclesiastici ad eas recognoscendas accederent. Ita evenit in Galliis A. D. MCLVI. apud Monasterium Argentoilense. Convenere illuc decreto die quamplurimi Ecclesiarum Antistites, & Cœnobiorum Prælati: Inde extraxere de thesauro Monasterii thecam, in qua asservari dicebatur sacrum quoddam pueri Jesu indumentum: authentiâ pretiosi pignoris recognitâ, illud palàm ostenderunt, Rege præsente, & maxima populi corona circumstante; demum chartam posteris hanc cœremoniam testificaturam Monachis consignarunt, cujus ecgraphon impresit in Panoplia Sacerdotali eruditus Saussajus: ex illa habeas brevem nostri Ritus descriptionem: *Cappam*, inquiunt memorati Præsules, *Pueri Jesu, quæ in ejusdem Ecclesiæ Thesauris à temporibus antiquis cùm honore condigno reposita erat ad fidelium salutem* FIDELITER INSPEXIMUS, & PALAM EDUXIMUS, & *veneratione solemni debitam magnificentiæ ejus exhibentes reverentiam, illam devotioni, ac venerationi populorum studio pietatis* OBTULIMUS. *Aderat ibidem supereminens, & sublimis præsentia Illustris.* REGIS FRANCORUM LU-

Reliquiæ ostendebantur occasione recognitionum earumdem.

Saussaii Panopl. Sacerdot. par. 1. l. 7. de cappa in append. de cap. puer. Jesu.

DO-

DOVICI *cum proceribus & OPTIMATIBUS palatinis, maxima consistente frequentia* VULGI. Hæc ibi. Aliud documentum tradunt acta quædam Cœnobii Corbejæ Novæ, quæ leguntur in appendice ad vitam S. Adhalardi ex recensione Mabillonii. Donarat Carolus Magnus Cœnobio insignes Reliquias sacculis thecisque conclusas: lapsu seculorum ignorabatur quænam essent. Quum, anno MCCLXXV. designato a Summo Pontifice per Gallias ad sacrum bellum ciendum magistro Fulcone maximæ pietatis viro, illum Abbas fratresque Monasterii vehementer obsecrarunt, thecas aperiret, & sinceritatem nomenque Reliquiarum recognosceret. Precibus Monachorum favit ille: reserato vase quodam, e plurimis grandiorem sacculum extraxit, protulitque ostendens sacra pignora: *Aperto itaque vase*, sic loquitur instrumentum de hac recognitione posteà confectum, *intus aspiciens diversos intuetur sacculos Reliquiis pretiosis refertos, quorum unum, quem majorem vidit, extraxit, & multis* VIDENTIBUS *aperuit....* Addit instrumentum nomina Reliquiarum, quæ fuerunt repertæ, subinde sequentia narrat ostensionem manifestè significantia: VISIS *igitur tot, ac tantis, ac tam pretiosis Reliquiis, &* CIRCUMSTANTIBUS AD OSCULANDUM *datis, clauso sacculo, & in vase reposito, homo sanctus vasis ostiolum obseravit: quod videntes fratres aliquantulùm commoti hominem sanctum allocuti sunt in hunc modum, quid est quod agis, Pater? noli ita facere, sed & alii sacculi*

Acta SS. Ordin. Benedict. par. I. secl. IV. p. 375.

per

per te nunc aperiantur , & nobis reliquiæ latentes interiùs OSTENDANTUR. Ille verò repetens nomina magnorum pignorum, quæ jam ostenderat, alia ne poscerent hortatus est, *quid ampliùs*, inquit, VIDERE *cupitis? sufficiat vobis, fratres, sufficiat tot, & tantas, ac pretiosas Reliquias* ADSPEXISSE ..... *Cùm ergo tot, ac tantas* VIDERITIS, *nolite ad inquirendum alios diversos sacculos perscrutari, sed potiùs* VISAS *magno (prout justum est) laborate studio venerari*.

XIX.

NEc hæ tantùm opportunitates ostendendi Reliquias. Usus semper viguit haud infrequens easdem proferendi tum sollemniter, cùm privatìm in gratiam Peregrinorum, & Advenarum præsertim ad illarum venerationem singulariter confluentium. Hanc consuetudinem non modò historiarum voces, sed etiam conciliares sanctiones testantur. Concilium Budense tale de Sanctorum pignoribus decretum evulgavit A. D. MCCLXXIX. *In Concilio statutum est, ut amodo Reliquiæ* EXTRA CAPSAM *nullatenus* OSTENDANTUR, *nisi in* PRÆCIPUIS FESTIVITATIBUS, *vel ad hoc ex devotione concurrentibus* PEREGRINIS. Sanè hac agendi ratione servata pluries ostensam Domini Crucem Hierosolymis discimus a S. Paulino, ut meliùs ejus verba indicabunt: *Neque præter hanc diem* (Paschatis, de qua inferiùs) *qua Crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa, quæ sacramentorum causa est,*

De more ostendendi Reliquias peregrinis, & advenis.

Concil. Bud. n. Const. 57 apud Labb. XI. tom. Concil. p. 1073. & seq.

S. Paul. ep. cit. ad Sever.

E *quasi*

quasi quoddam sacræ solemnitatis insigne PROFERTUR , *nisi interdum Religiosissimi postulent*, *qui tantùm causâ illò* PEREGRINATIONIS *advenerint*, *ut sibi ejus revelatio quasi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur* . Veronica in Basilica Vaticana jussu Romanorum Pontificum , quorum catalogum videsis apud allegatum Bzovium , e remotis regionibus ad Urbem accedentibus sæpissimè patefacta fuit , præcipuè jubente Gregorio X. anno MCCLXXI. Verdæ illustri Comitissæ de Lumello . Extat hujus rei insignis Epistola Pontificis ad Capitulum S. Petri , in qua caussa favoris exponitur, *ut scilicet ejus devotio augeatur*, *& promptiùs Dei beneplacitis studeat adhærere* . Bonifacius VIII. eandem Domini effigiem præcepit frequenter ostendi peregrinis ad Jubilæum an. MCCC. convolantibus, quod testatur Villanius: *Per consolazione de' Christiani* PELLEGRINI , sic ille , *ogni Venerdì , e dì solenni di festa si* MOSTRAVA *in S. Pietro la Veronica del Sudario di Christo* . Bonifacium postmodum imitati sunt alii Pontifices : de Gregorio XIII. (ne cæteros allegem) hæc scribit Andræas Victorellus: *Gregorio XIII. fece* MOSTRARE *il Santo Volto , la Lancia , le Teste de' SS. Apostoli molte volte oltre l'ordinario* ; quod in gratiam peregrinorum intellige: vide etiam super his Phæbeum in libello de anno Jubilæi . Anno MCCCLVII. in Gallias advenerant Regem Carolum VII. allocuturi Oratores Regni Hungarici . Quum Parisios accessissent , Viris principibus , & magistratu comitante , illis velut advenis dignissimis Reliquiæ Re-

Epist. Greg. X. ap. Bzov. loc. cit.

Villan. histor. l. VIII. c. 36.

Victorell. hist. de Giubil. Pontif. par. 3. pag. 418.

Phæb. par. I. c. 8. & par. II. cap. 8.

Regii Sacelli monstratæ sunt. Author coævus apud Godofredum ostensionem sic gallicè notat: *Le lendemain furent menez* (Oratores) *par les Seigneurs, & officiers desusdits en la sainte Chapelle du Palajs, où leur furent* MONSTREES *les saintes Reliques, c'est à scavoir la sainte Couronne, le Cloud, le fer de la Lance, & aucune chose de la Verge de Moyse.* In Anglia peregrinis monstrabatur scrinium ossibus S. Neoti refertum apud Monachos Curlandiæ. MS. historia eruta e Bibliotheca Bodlejana, & in Monastico Anglicano promulgata talia describit: *Temporibus nostris in Monasterio S. Neoti à fratribus Monasterii Beccensis occupato* SCRINIUM *satis pretiosum* ADVENTANTIBUS OSTENDITUR. De Reliquiis ibidem author loquitur. Aquisgrani quolibet septennio thesaurum sacrorum pignorum ostendi solitum peregrinis ad Jubilæum properantibus tradit Petrus Beeckius. Adventantibus Beneventum supra memoratas Reliquias pariter monstravit Card. Ursinus. Videantur acta jam citata. Romæ fermè quotannis nostra contingit ætate advenis præsertim dignitate aut nobilitate præstantibus Basilicarum Reliquias ostendi. Anno MDCXCIII. die XIII. Martii in insigni Basilica S. Mariæ Trans-Tyberim celeberrima, quæ ibidem asservantur, pignora monstrata sunt Christiano Augusto Ducis Saxoniæ nunc & Poloniæ Regis Germano fratri modò S. R. E. Cardinali amplissimo, pluribus viris nobilibus ad stantibus, horâ decimâ septimâ privatim quidem, sed servatis omnibus cæremoniis, quæ sollemnes osten-

Matth. Coucy ap. Godofr. hist. de Carl. VII. p. 709.

Monast. Anglic. pag. 369. to I.

Petr. Beeck. in aquisgr. cap. IX.

Acta 2. Synod. provinc. Benev. 1698.

ſiones comitantur. Sic & Archivi ſchedæ, & teſtes oculati hactenus ſuperſtites mihi disertè affirmant. Hoc exemplum pro omnibus ſufficiat. Alia documenta ex infra ſcribendis humaniſſimus Lector conſideret.

XX.

Oſtendebantur Reliquiæ in præliis militibus.

NEque uſus ſilendus eſt oſtendendi Reliquias militibus in præliis ſive hoſtibus ad terrorem, ſive propriis ad robur animis injiciendum. Obſidebant Saraceni A. D. MXCVIII. Antiochiam, in eaque periclitabatur incluſus cum Godofredo Bullionæo flos Catholici fœderis. Tunc in ſomniis Petro Maſſilienſi Presbytero divinitùs declaratum ſpem ſalutis poſitam in reperienda Domini Lancea, quæ illic occultabatur: diligentiſſimè quæſita ſummâ omnium lætitiâ inventa eſt. Statuto die eâdem in altum ſublatâ per manus Apoſtolici Legati Chriſtiani in hoſtes irruerunt tantum alacritatis e conſpectu ſacri inſtrumenti capientes, ut obſidionem ſolutam viderint, ac centum barbarorum millia cæſa numeraverint. Factum fusè narrat cumulatis authoribus de ſacro bello ſcribentibus Jacobus Boſius in opere de Cruce. Hiſtoria Albigenſium, cujus author Petrus Valliſarnenſis, à Raynaldo in Annalibus multoties adducta duo miniſtrat exempla oſtenſionis Reliquiarum ex eminenti loco præliantibus factæ, quam ſecuta ſunt Catholicorum vigor & alacritas, fuga verò cædeſque hæreticorum. Textus af-

Boſ. de Cruce l. 1. c. 17. p. 121.

Petr. Valliſarn. hiſt. Albig. apud Raynald. continuat. Annal. ad ann. 1212 n. 12. & an. 1213. n. 56.

afferrem nisi scirem de his latè mentionem fieri in eximio opere Reliquiario eruditissimi Canonici Marci Antonii Buldethi, quem honoris gratia semper, ubi occasio postulet, nominatum volo. His exemplis jungere possumus factum, quod enarratur in sermone Alberti Episcopi Livoniensis habito in translatione S. Edmundi Archiepiscopi, & Confessoris apud collectionem Martenianam Anecdotorum recenter impresso: En sermonis locum: *Invenitur in gestis Romanorum Pontificum, quod cùm Urbs ipsa caput Orbis fuisset ab hostibus obsessa, & de suis diffisa viribus ad Sanctorum præsidium bono usa consilio confugisset, nocte insequenti, cùm die postera ipsis mœnibus Civitatis exterminium immineret, orante pro ea ejusdem Civitatis Antistite, B. Anastasius quondam præfatæ Urbis Episcopus eidem apparuit, & injunxit, ut si vellet Civitatem, & Cives Romanorum ab imminentibus periculis defensari*, CAPUT SUUM, *idest*, IPSIUS B. ANASTASII, *in crastinum contra hostes properaret* EFFERRI, *sciturus pro certo, si hoc faceret*, HOSTIUM MULTITUDO CONTINUO DISPARERET, *factumque est ita, & probatum* PER EFFECTUM SUBSECUTUM. Hucusque Albertus Livoniensis.

Boldett. lib. III. cap. 17. pag. 736. col. 2.

Tom. III. anecd. p. 1830. n. 7.

XXI.

SUPERIUS dixi statis plerumque diebus ostensiones fieri consuetum. Hi tamen dies non omnes passim, quod reprehendit Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. cujus Canonem alibi ex-

Dies statuti pro sollemn. ostens. non omnes, sed notabiliores.

Can 62. Conc. IV Lateran. inf. &c.

excribemus, sed memorabiles semper, & aliqua celebritate præcipui. Apertè hoc cautum Epistolâ Martini V. apud Raynaldum ad annum MCCCCXXIV. Ea data est Magistro Paullo de Juvenatiis, aliisque, quibus mandatur, ut Reliquias ex Ecclesiis colligant, ac debitis temporibus curent ostendendas: sed libet verba ejusdem Epistolæ in medium adducere: *Ecclesias*, inquit, *tam intra, quàm extra Urbem visitare curetis, & ab eisdem sacras Reliquias, si discretioni vestræ videbitur, auctoritate nostrâ per idoneas personas removeri, & in Ecclesiis infra dictam Urbem, quas duxeritis eligendas in locis congruentibus, & honestis sub fida custodia deponi, & locari facere curetis fidelibus populis* MODO, *&* ORDINE *per vos dandis observatis, congruis* FESTIVITATIBUS OSTENDENDAS. Subtus verò additur: *Volumus insuper, & harum serie decernimus, ut* CERTIS ANNI TEMPORIBUS, *præsertim* FESTIVITATIBUS, *& aliis* TEMPORIBUS, *prout est fieri* CONSUETUM, *dictæ Reliquiæ ad Ecclesias, è quibus remotæ fuerunt, sub devota, & fida custodia reportentur, & in eisdem Ecclesiis juxta* PRÆLATORUM *ad regimen ipsarum deputatorum, ac* NOSTRAM DELIBERATIONEM *fidelibus populis* OSTENDANTUR. Hactenus Pontifex Maximus. In festivitatibus monstrandas Reliquias pariter monebat Canon allatus Synodi Budensis. Sollemnes dies ostensionibus assignat Concilium Avenionense, cujus textum lege hìc num. XLII. At congrua tempora, sollemnes dies, & festivitates quænam sint præclarè pronunciavit S. Carolus in Concilio

Epist. Mart. V. apud Raynald. tom. 17. Annal. ad ann. 1424. n. 13.

Constit. 57. Syn. Buden. cit.

lio IV. Mediolanensi: *Ne passim*, ait, *omni tempore, sed certis tantummodo* FESTIVITATIBUS: UT-PUTA *in Nativitate Domini, Epiphania, Paschate Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, & hujusmodi, festoque ipso die exponantur*, OSTENDANTURVE, *quo illius Sancti, cujus Reliquiæ sunt, vel Ecclesia, in qua recondita sunt, celebritas solemni festoque officio agatur*. Quantùm Ecclesiæ consuetudini conformia sint tempora à Sanctissimo Antistite assignata facili ab exemplis edocemur. Christi Sudarium Romæ monstrabatur in Ascensione Dominica, & post Epiphaniam, utpote singularibus temporibus, inde IV. feria in Cœna Domini, Parasceve, aliisque majoris Hebdomadæ diebus veluti Redemptionis nostræ memoriæ dicatis: id eruitur ex literis supra citatis Urbani V. Crucis partes Romæ, & Cpoli ostensas antiquitus in Parasceve, & Paschate observat Gretserus in opere de S. Cruce: Præterea in die exaltationis Cpoli, & Hierosolymis traditum est à Codino, & Andræa Cretensi fuisse eandem prolatam. Hoc etiam actum apud alteram ex memoratis Urbibus in die Paschatis disertè scribit S. Paulinus. Die Exaltationis Crucis Constantinopoli ostendebatur pariter sacra Spongia ab Urbe sancta illuc translata: en verba Chronici Paschalis ad annum DCXIV. ἐν δὲ τρίτῃ ὑψώσει ἀποδεθεὶς τῷ ζωοποιῷ σταυρῷ ὁ τίμιος σπόγγος, καὶ αὐτὸς συνυψοῦται αὐτῷ ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ πεμφθεὶς παρὰ Νικήτα πατρικίου. idest: *in tertia exaltatione vivifica Cruci alligata ve-*

Concil. IV. Med. par. I. tit. de Sac. Reliq. p. 93 col. 1. Tom. I. act. Eccl. Mediolan. edit. Lugdun.

Epist. Urb. V. ap. Bzov. loc. cit.

Grets. de Cruc. l. I. cap. LXXIV.

Cod. Curop. loc. cit.

Andr. Cret. serm. cit.

S. Paulin. ep. cit. ad Sever.

Chron. Paschal. p. 385. Edit. Ducang.

veneranda Spongia, & ipsa coexaltatur in Sanctis s. magna Ecclesia, missa à Niceta Patritio. Norimbergæ, fide nondum corrupta, quotannis tempore Paschali SS. pignora, quibus abundabat, & Clavus Domini ostendebatur, quemadmodum notavit Curtius in libello de Clavis Christi. Sacratissimum Jesu Linteum, quod Augustæ Taurinorum tantâ colitur veneratione, die IV. Maii, qua ejus festum ex præscripto Sedis Apostolicæ celebratur, incredibili pompâ multitudinis obtutui proponitur, referenre Solario. Aquisgrani ostensionis sollemnia fiebant jussu Concilii diebus jejuniorum IV. temporum, sicut accipimus ex Henrico de Herphordia. Insuper singulis annis in Dominicis Quadragesimæ ostensam Sanguinis Christi Guttam in urbe Veneta apud patres Ordinis Minorum religiosissimè custoditam docet Johannes Theupolus in suo tractatu italico Reliquiarum S. Marci alibi citando; ex quo etiam apprehendimus Venetas Reliquias populo quolibet redeunte anno in Vigilia Ascensionis, & feriâ V. majoris Hebdomadæ proferri. Scribit præterea Collius ampullam Dominici Cruoris Mantuæ cultam ostendi quotannis sacro die Ascensionis. Nimius essem, si omnium exemplorum testimonia (quorum nonnulla sparsim infrà aliis de caussis adnotabo) congerere hìc vellem. Addam pro Coronide, quod Christi Sudarium Vesontii asservatum ab antiquo tempore in diebus Paschatis, & Ascensionis ostenditur: ita monet in eruditissimo opusculo de Linteis Domini sepulchralibus

Curt. de Clav. Dom. cap. VIII. p. 149.

Solar. Sindon. Evang. l. I. c. XI. p. 93.

Henr. de Herph. ap. Panvin. cit.

Gio. Tiepol. delle Reliq. di S. Mar p. 19. & 54.

Collius de Sang. Christ. l. V. c. 2. p. 856.

libus Johannes Chiffletius. Ex dictis planè vides morem Romanum ostendendi sollemniter Reliquias certis festivitatibus, præcipuè Paschalibus, & in diebus honori Sanctorum, quorum exuviæ sunt dedicatis, sicut contingit, ne quid aliud commemorem, in die B. Andreæ Apostoli apud Basilicam S. Petri, qua ejus Capitis ostensio peragitur, originem trahere ab usu longè latèque in Ecclesia propagato.

Chifflet. Crif. histor. de Lint. Christi Sepulch. c. XI. p. 54. 55. 70.

XXII.

QUUM superiùs authoritate usus sim Concilii IV. Mediolanensis, priusquam ad alia progrediar, considerandum videtur ex eodem à me plura infra decerpenda, quæ de Reliquiarum expositione super Altaria loquuntur, quod contra instituti rationem putari potest; sed velim lector perpendat Sanctissimum Cardinalem Borromæum, quæcumque eo loci de Reliquiarum hujusmodi veneratione disseruit, professum fuisse pro ostensione pariter nostrâ esse accipienda. *Cùm Reliquiæ*, inquit, *Sanctorum non in Altari exponuntur*, *sed* E LOCO SVPERIORI, *aliove*, *in quo reconditæ sunt*, POPVLO OSTENDVNTVR OMNIS EADEM RATIO *planè* SERVETVR, *processione excepta*. Hæc S.Carolus.

Notandum circa loca citanda e Concil. IV. Mediol. sub S. Carolo.

Concil IV. Mediol. loc. cit.

****
*

XXIII.

De ostensionibus extra ordinem. Fas pendere ex arbitrio Præsidū Ecclesiasticorū. Exempla hujusmodi ostens.

Paulin. ep. cit.

PRÆTER hucusque memorata certa tempora ostensionum, aliæ interdum erant monstrandarum Reliquiarum opportunitates. Ostensiones tamen extra ordinem Præsulum locorum judicio, arbitrioque pendebant. Et quidem illas *solùm* BENEFICIO EPISCOPI obtineri laudatus Paulinus affirmat. Paulino adstipulatur maximum Ecclesiasticæ disciplinæ columen, ac firmamentum S. Carolus, qui postquam in Concilio IV. Provinciali congrua tempora designavit, addidit: *Tum præterea quo die ob aliquam causam* EPISCOPUS JUSSERIT, CONCESSERITQUE. Harum extra ordinem ostensionum tum publico ritu, cùm privato celebratarum exempla non pauca obviam fiunt historias legentibus. Seculo VI. Antiochiæ ostensio facta est Reliquiarum S. Symeonis Stilitæ. Aliqua earumdem fragmenta petierat Philippicus, qui Cæsareos exercitus cum imperio in Oriente tenebat; hac arrepta opportunitate Episcopus venerabilia lipsana quamplurimis spectanda præbuit, præsertim Ecclesiarum Præsulibus. Si testimonium in hac re oculatum desideramus, habemus Evagrium talia scribentem in sua Ecclesiastica historia:

Concil. IV. prov. p. 93. col. 1. cit.

Evagr. lib. XIII. *p.* 271.

τούτου τὰ πολλὰ μέχρις ἡμῶν ἐφυλάχθη, οὗ δὲ τὴν ἁγίαν κορυφὴν μετὰ πολλῶν ἱερέων τεθέαμαι, ἐπισκοπεύοντος τηνικάδε Γρηγορίου τοῦ πανασιδίμου, Φιλιππικοῦ δεηθέντος παραφυλακῆς ἕνεκα τῶν ἑῴων ἐκστρατευμάτων, τίμια λείψανα ἁγίων οἱ ἐκπεμφθῆναι: idest: *istius* (Corpo-

poris) *cùm multæ aliæ partes ad noſtram uſque ætatem fuere reſervatæ, tum caput ipſe quidem cum plurimis Epiſcopis* CONSPICATUS SUM, *Gregorio viro magni nominis id temporis Epiſcopatum gerente, & Philippico efflagitante, ut Sanctorum Reliquiæ, quo tutiùs in Oriente expeditiones militares faceret, mitterentur*. Legi poteſt ſuper his opus eximium monimentorum Tillemontii. Seculi XI. ſcriptores multiplicia ſuggerunr extraordinariarum oſtenſionum documenta. Harum inſignis accidit apud Corbejam novam. Bellum indixerat Philippo Galliarum Regi Robertus Flandriæ Comes. Jamque Roberti exercitus hoſtiles fines penetrarat, vaſtabatque prædia Monachorum Corbejenſium. Tunc Monachi deprecaturi, ut damna ulteriùs progredi vetaret, ſuſcipiunt Reliquias S. Adhalardi Abbatis, longumque poſt iter Comiti præſentant. Ille aſpectu tantorum oſſium commotus votis indulſit. Monachi itaque pretioſas exuvias ſecum aſportantes, repugnante quamvis haud obſcurè Roberti uxore, Corbejam remearunt. At populus, qui in occurſum perrexerat, dubitare cœpit, num revera fuiſſent relata lipſana B. Abbatis, apud illum ſummâ religione culta. Ut dubitationem amoveret Cœnobii Præſul, ſollemniter illa mandavit oſtendi. En verba Anonymi ſcriptoris hujus hiſtoriæ, quæ legitur in ſylloge Actorum SS. Ordinis Benedictini. *Ne aliquis eorum dubius exiſteret Sanctum Adhalardum eſſe relatum, Reliquias ejuſdem de ſecretario, ubi ante repoſitæ fuerant, præſentari fecerunt: quas*

Tillem. tom. XV. des Memoir. Eccleſ. p. 387.

Anonym. lib. II. Miracul. S. Adalard. c. VII. n. 13. p. 372. par. I. ſect. IV. Act. SS. Benedict.

 qui-

quidem IN CONSPECTU *populi adstantis* EXTULERUNT, IPSASQUE, *ut credi decet*, *antiquo ebore lucidiores*, *visuque pro sui raritate delectabiles conspectibus omnium adstantium* CERNENDAS *præbuerunt*. E fragmento Scriptoris rerum Aquitannicarum, quod excribit Baronius ad annum MXXIX. insolitam ostensionem corporis B.Martialis audire possumus. Grassabatur in Provincia Lemovicensi epidemica lues. Universæ Aquitaniæ, qui convenerant, Episcopi, ut morbus ex hominibus ope cœlesti arceretur, sollemni ritu corpus Sanctiss. Antistitis monstrarunt. *His diebus*, ait Author, *lues gravissima Lemovicinos devoravit accendens corpora*, *&* *exardescendo devorans*: *donec omnes Aquitaniæ Episcopi Lemovicæ congregati Corpus B. Martialis ab imo sublatum sepulchro mortalium* VISIBVS OSTENDERVNT, *&* *mox pestis ipsa* CESSAVIT. Non omittam præclaram ostensionem corporis S. Dionysii, quam evenisse A. D. ML. in Archicœnobio Parisiensi narrat historicus apud Duschenium. De possessione sacri pignoris acriter certabant cum Gallis Germani. Sed Monachi Sandionysiani cogitarunt: *Nullatenus*, ita citatus Author, *posse tanti erroris avelli morbum*, *nisi* OSTENSIONE *corporis sacri manifesti fides daretur indicii*. Elevata igitur, Abbate jubente, arca, singulaque ossa spectantibus pluribus monstrata. Simillima ex caussa ostensum corpus S. Austrenomii asserit testis αὐτόπτης à Mabillonio, & Dacherio supra allegatis productus. Lis enim acerrima erat inter Monachos Mausiacenses, & Iciodorenses. Jactabant

Frag. hist. aquitan. ap. Baron. ad an. 1029. n. 8. & ap. Duchesn. in collect. histor. Franc. script.

Hist. detect. Corp. S. Dionys. & soc. ap. Duchesn. to. 4. hist. Franc. scrip. p. 159.

bant utrique exuvias viri ſancti propriis Eccleſiis tumulatas. Mauſiacenſes tandem, quibus certiora ſcripta, & vetuſtior traditio animum addebant, *Iciodorenſium fallaciis*, verba ſunt Hiſtoriographi, *obviare decreverunt, & quantus theſaurus apud ipſos maneat*, PALAM OSTENDERE. Rogatus itaque Claromontanus Epiſcopus oſſa extraxit, & multis adſtantibus patefecit, auxiliantibus Monachorum Prælatis: manibus oſtenſionem factam probant, quæ ſequuntur: *Igitur oſſa glorioſi Martyris Auſtrenomii dictus* EPISCOPUS, *& Abbates prænominati, in vas illud*, VNDE FVERANT DESVMPTA, *ſagaci ſtudio honorificè repoſuerunt*. Hæc ibi. Accipe nunc exempla à ſubſequentibus ſeculis petita. Mos erat in Eccleſia S. Marci Venetiarum ſtatutis temporibus, quæ ſupra enunciavi, Reliquias oſtendendi. Seculo XIII. anno MCCXXX. die VII. Januàrii fortuito incendio lipſanotheca exarſit: Verùm celebri miraculo reperta ſacra pignora prorsùs intacta: Hac occaſione, ne multitudini magnalia Dei occultarentur, extra ordinem illa monſtrata ſunt. Literæ Ducis Zeni alibi majori luce citandæ, quæ publici juris fiunt in opuſculo deſcriptionis Eccleſiæ S. Marci Canonici Stringa facti ſerie enarratâ hæc habent: *Quæ tam pretioſa, & ſacratiſſima* (lipſana) *populo cum gaudio, & proceſſione multa* TVNC *fuerunt* OSTENSA. Ex urbe Veneta in Gallias migremus. Simon Archiepiſcopus Bituricenſis, dum viſitaret Reliquias Monaſterii S. Launomari apud Mageniacum, capita SS. Ebrulfi, & Launomari ligneâ capſulâ ab aliis di-

Acta SS. Ordin. Bened. par. II ſec. 3. p. 194. & ſeqq. hiſtor. Tranſlat. S. Auſtrenom. Ep. Arvern.

Ap. String. in deſcript. Eccleſ. S. Marc. c. X. p. 43.

discretâ sigillo apposito asservare fecit, quousque collectis eleemosynis argentea theca construeretur, in eâque non ampliùs reserandâ collocarentur: constituit tamen, ut priusquam pretiosum in scrinium inferrentur, publicæ ostensionis cultum haberent. Instrumentum hujus Visitationis, quæ contigit A. D. MCCLXXXIV. Sic sollemnitatem significat: *Statuimus convocari omnes, qui voluerint interesse, ut sine dubitatione ulla frangantur sigilla, & duo sacra capita* PALAM OSTENDANTUR, *& sic argento tegantur* ..... Inter insolitas reponenda est ostensio acta in Alemannia seculo XIV. anno MCCCLXI. apud Ecclesiam S. Sevoldi *Nurnebergæ*, postquam expiatus esset sacro fonte filius Caroli IV. Imperatoris. Dum Curia tota magno gaudio detineretur Innocentius VI. Summus Pontifex ad augendam celebritatem ostensionem Reliquiarum permisit additis singularibus Indulgentiis de quibus suo loco. Placet verba ipsa Rebdorfii testis oculati, qui literis rem gestam mandavit, in propatulo exponere, *duravit*, inquit, *hæc Curia magno gaudio per octo dies: Nam & insignia imperialia Imperator jubet deduci de Bohemia, & sollemni apparatu ea* OSTENDIT *ibidem .... & habita ibi sunt hastiludia, & alia solatia infinita*. At quænam sint insignia imperialia ex eodem disco: *Nota, quod insignia imperialia, quæ tunc* VIDI, *de quibus* PAPA FESTUM *indixit, sunt hæc: primùm Lanceæ ferrum, quæ transfixit latus Christi, item Clavus cum aliquali petia Ligni S. Crucis, qui transivit manum Christi, item gladius Caroli Magni*

Apud Mabillon. par. II. sec. IV. Bened. p. 258.

Rebdorf. in Annalibus.

gni .... Item gladius S. Mauricii M. item petia brachii S. Annæ Matris Mariæ Virginis, dens S. Johannis Baptistæ .... Aliæ Reliquiæ legi possunt apud eundem; nos ad aliam extraordinariam ostensionem enarrandam properemus, nec Alemanniæ limites egrediemur. Seculo XVI. A. D. MDXX. x. Kal. Novembris corona imperiali redimitum Carolum V. historica monimenta affirmant: Postridie in Ecclesia Cathedrali Aquisgranensi Imperatori sacra lipsana maximo apparatu monstrata sunt. Ita sanè scripsit Cardinali Bibienæ Balthassar Castilionæus Apostolicus ad Cæsarem Internuncius. Anno insuper MDXCIV. Ernestus Archidux Austriacus electus Belgii Gubernator illuc properabat. Treviros pervenit, sive id itineris ratio posceret, sive voluptas celebrem adeundi civitatem. Tunc undequaque magnates Germani concurrere, tunc Trevirensium ordinum summa cura tanto Principi apta spectacula recreando præbere. Præ cæteris verò ejus oculis, pietatique suspicienda proposita est sacra Christi Domini Vestis extraordinaria ostensione: *XV. Januarii*, ita Annales Brouveriani, *Christi Domini Tunica inconsutilis Archiduci, cæterisque proceribus in æde summa* EXTRA ORDINEM EXHIBITA. Ostensionibus extraordinariis annumera, quæ aliquando permittebantur gravibus vel Urbium, vel Ecclesiæ Catholicæ urgentibus ad Sanctorum patrocinium efficaciùs implorandum necessitatibus. Veronica, & Capita SS. Apostolorum prolata sunt, dum Tyberis Romanam Civitatem aquarum inundatio-

Balthass. Castil. ap. Raynald to. 20. Contin. Ann. ad an. 1520. nu. LXXV.

Brouver. Annal. to. 2. l. 22. p. 427.

Diar. Infess. apud Soresin. de Cap. SS. Apost. p. 116.
MSS. Diar. Blas. de Cæsen. ad an. 1537.

tione opprimebat anno MCCCCXXXIX. die XVII. Februarii, vide MSS. Diaria Infessuræ. Blasius de Cæsena Pontificius Cæremoniarum Magister in enarratione gestorum Paulli III. meminit ostensionis factæ A. D. MDXXXVII. Capitum SS. Apostolorum in Basilica Lateranensi, præsente Pontifice, pro impetranda Catholicarum rerum undequaque concussarum tranquillitate. Cætera exempla insolitarum ostensionum prætermittam, ne gravis lectori fiam. Romæ nostra ætate monstratas extra consueta tempora Reliquias decursu hujus opusculi patebit.

XXIV.

De Horis ad agendas ostensiones deputatis.

TEMPORIBUS, seu occasionibus ostensionum discussis ratio rerum exposceret, ut perpenderemus, quibus Horis illæ peragantur. Superfluam rem tamen a me factum iri existimarem, si minutim vellem talia disquirere. Sua in his cuique locorum viget consuetudo ab aliqua temporis circumstantia, præsidum opportunitate, confluentium commodo, festivitatum ratione metienda. Romæ proferuntur Reliquiæ & ante meridiem post sacrorum officiorum celebrationem, & horis promeridianis ante, postque Vesperas, & Completorium, Vesontii primo mane *inter horas matutinas*, quod videbimus ex textu Chiffletii excribendo num. LVIII. Venetiis de sero, quemadmodum notat Canonicus Stringa in descriptione Ecclesiæ S. Marci alibi citatâ. Textum habes in-

String. c. X. p. 40.

infra num. LXX. Assisii Velum Deiparæ ostenditur solùm ante vesperas : vide caussam hìc num.XXVI. Hæc velim tamen intelligantur de ostensionibus sollemnibus , & statuto tempore : cæterùm aliæ ostensiones nihil , quòd horas spectat , & firmitatis & certitudinis habent .

XXV.

VENIUNT modò commemoranda loca , e quibus Reliquiæ exhibebantur . Loca quidem varia , prout Ecclesiasticis Rectoribus opportuna censebantur commodo semper populorum indulgentibus . Excelsos interdum montes seligebant Antistites his festivitatibus exequendis . Sanè extra Civitatem Sylvanectensem *in loco* EMINENTI monstratas plures Reliquias discimus ex antiqua charta apud Labbæum in sua Bibliotheca: factum inferiùs distinctiùs recitabo . In translatione corporis S. Bertæ Abbatissæ Blangiacensis immensæ concursanti multitudini ut fieret satis veneranda ossa intueri cupienti , eadem super apicem montis delata sunt : fragmentum historiæ hujus translationis , quæ incidit , ni fallor , circa annum MCCXXV. rem prodit : EPISCOPUS (Terruanensis) *cum Monachis humeris sanctum Corpus ferentes, Monachis psallentibus, populisque lætantibus ascenderunt ad* SUPERCILIUM *cujusdam* MONTIS , *ut tam desiderabilis thesaurus ab omnibus possit videri*: ibi caput SS. fœminæ Præsul ostendit , quod infra videbitur . Quum Ecclesia Vesontina minùs apta

Loca ostensionibus assignata. Et primò de locis ab Ecclesiis separatis.

Labb.Bibl. to.II p.560.

Lib. miracul. & translat. corp. S.Bert.apud Mabill.sec.VII. Benedict.

 di-

dignoſceretur excipiendæ hominum turbæ innumerabili ad viſendam Chriſti ſindonem confluenti, peropportunè collis ſublimis oſtenſioni eſt deſtinatus : elevatum inibi primò extemporaneum theatrum , mox e marmore extructum, inde ſuper illud quotannis linteum monſtrabatur . Hæc omnia docemur a Chiffletio aliàs laudato. Aliquando in campis latiſſimis Reliquiæ, ſuggeſtis ædificatis, aſpectui accurrentium offerebantur. Ita actum in translatione Spinei Diadematis Redemproris noſtri , quam ſupra attigimus : *Extra muros* (verba hujus hiſtoriæ Scriptoris)*juxta Eccleſiam B. Anthonii in campi* PLANITIE *conſtruitur eminens pulpitum, adſtantibus pluribus Prælatis , Eccleſiaſticiſque conventibus* INDUTIS SERICIS, EXBIBITIS *SS. pignoribus, in tanta populorum* FREQUENTIA , *quanta Pariſius exierit . Monſtratur* LOCULUS *ex pulpito* . . . Sindon Taurinen. ſicuti teſtatur allegatus Chiffletius,dum Camberii cuſtodiretur, in campo Vernetæo explicabatur : antequam verò Camberium transferretur , apud fluvium Dubin in Burgundia ſpectanda tradebatur,prati cujuſdam amplitudine ac amænitate invitante , quod *Pratum Domini* appellatum . Aliquoties reperio vaſtiſſimas Urbium Plateas huic uſui deputatas . Probat hoc inprimis exemplum oſtenſionis ejuſdem Lintei Taurinenſis . Ipſum adoraturus advenerat S. Carolus , ſed B. Archiepiſcopum ſequuta ingens peregrinorum multitudo : tanta ut pietas voti compos evaderet , in platea dicta *del Caſtello* erectum magnificum theatrum , inde regali pompa oſtenſio completa eſt .

Chiſflet. ſup. cit. lib. cap. XI. p. 70.

Galter. Cornut. ap Duchesn to. 5. ſcript. Franc. cit.

Chifflet. cap. XI. p. 112. & p. 107. c. VIII.

Fu-

Fusè hujus festivitatis cæremonias descripsit alibi citatus Glussianus. Annuam ostensionem lipsanon Norimbergensium factam dicit in suis historicis Pirckeimerus *Tabernaculo miro apparatu in* FORO *constructo*. Nec nostra ætas ab hoc usu aliena est; exercetur enim quotannis Neapoli I. Dominica die Maii. In unam ex nobilissimis plateis illius Urbis Ampullæ, quibus sacer sanguis B. Martyris Januarii concretus visitur, incredibili pompa deferuntur: ibi super temporarium altare in conspectu capitis ejusdem Sancti collocantur, quousque sanguis notissimo atque evidenti miraculo liquescens ebullire incipiat: Id postquam evenerit, Cardinalis ipse Archiepiscopus, aut eo absente dignior e Capitulo in altum effert, versatque ampullas, ut cunctis prodigium innotescat, postea Proregi, Patriciisque Viris osculandas spectandasque præbet. Innumeros de his testes oculatos citare possem, sed, si scriptor requiritur, videatur egregius S. Januarii historiographus P. Hieronymus Maria a S. Anna Carmelita excalceatus.

Giussan. Vit. di S.Carlo lib.5.c.5.

Pirckeim.c.VIII. historicor.

Hist. del.Vita di S.Genn. lib. III. cap 2.p.281.vide & lib II. cap.16. p.217.

XXVI.

ELIGEBANTUR etiam exteriores templorum partes ad has celebritates agendas. A. D. MCCCXXIV. antequam Ludovicus Bavarus temporali ditione privatus dirisque impetitus a Johanne XXII. Pontifice Reghinoburgii schismaticorum conventum cogeret, ibidem ex atrio Ecclesiæ insignia imperialia, nempe Reliquiæ, osten-

Partes Ecclesiarum exteriores designatæ ad ostensiones.

Aventin. lib. VII. Annal. Bojor. n X. p. 469. edit. Basil.

ſa ſunt, compoſito theatro: Sic Bojorum Annaliſta Aventinus: *Ludovicus his turbis adactus Rheginoburgium proficiſcitur. Quinto Idus Auguſti ſacra Auguſtalia, imperii inſignia, clavos, vivificæ Crucis magnam partem.... enſem, atque haſtam B. Mauritii, Diadema aureum, enſem Caroli Magni, & alia hujuſcemodi penetralia numero centum viginti per ſacrificulos ponte in* VESTIBULO ÆDIS *D. Haimerani facto populo* MONSTRAT. Ab atrio Cappellæ dictæ *Sancta Sanctorum* oſtenſionem factam, de qua inferiùs, ab Urbano V. ſeculo XIV. ſignificare mihi videtur cum Boſqueto in Vitis Pontificum, qui Avenione ſederunt, proceſſus pro ejus canonizatione inſtruenda efformatus infra citandus. Pius II. populo innumerabili oſtendit verticem S. Andreæ ſtans ſuper gradus Atrio Baſilicæ Vaticanæ annexos: locum integrè alibi dabo. Mos iſte modo ſervatur in oſtenſione Veli Beatiſſimæ Virginis, quæ pluries fit a Patribus Conventualibus Aſſiſii illud obtinentibus. Hiſtoria celebris Aſſiſiatis Conventus edita eſt ab ejuſdem Religionis Alumno A. D. MDCCIV. Ex illa haud ingratum erit lectori ſi narrationem oſtenſionis excerpam eâ preſertim cauſsâ, quòd ad varias comprobandas noſtri Ritus cæremonias inferiùs attingendas aliaque notabilia adminiculo eſſe poſſit. *Bis quolibet anno*, ſic Author, *innumeris populis.... palam* OSTENDITUR. *In feſto B. V. ab Angelo Annunciatæ, quo die ſolemni Proceſſione ad Eccleſiam Portiunculæ à PP. Conventualibus fertur..... Super majorem illius Eccleſiæ* JANUAM *in ex-*

Boſquet. V. Vit. V.

MSS. Proceſſ. ex Arch. Vatic.

Comment. Pii II. lib. VIII. cit.

Franciſc. Maria Angel. a Rivotorto amœnit. coll. Paradiſ. ſeu hiſt. Sac. Conv. Aſſiſien. lib. I. tit. XXXVII. p. 54.

excelso PROPYLÆO *ad id ædificato post* SERMONEM *à Concionatore Conventuali habitum priùs coram populo intra templum, dein multitudini in latissima platea extra & ante Ecclesiam stanti à P. Custode Sacri Conventus* PLUVIALI *induto spectandum exponitur. Mirum, tantam numerositatem, dum sacrum panditur Velum, profundo* SILENTIO *genuflexam procumbere: statim verò ac* ELEVATUR, *omnes unanimiter* EXCLAMARE, *Deique implorare misericordiam. Vidi egomet non semel DD. Cardinales, Episcopos, Prælatos, ac Magnates adstantes tanta pietate his vocibus* COMMOVERI, *ut* LACRYMAS *nullatenus cohibere valerent. Pari celebritate ac pompa publicè ostenditur sacrum Velum II. die Pentecostes: processionaliter enim à suo Sanctuario defertur per Collis Paradisi plateás ad supereminentem amplumque* XISTUM *undique patens ac testudine tectum: hinc innumera gentium cohors, quæ nedum tres subjectæ plateæ ac viæ, per quas conspici queat, sed & domorum tecta agrique infra Urbem inundant. Dum* OBSERVANDUM, *atque adorandum proponitur alta in populo taciturnitas: dum* BENEDICTIONES *ad quatuor mundi plagas distribuuntur singuli vocem tollentes* MISERICORDIAM *poscunt. Solemnitatis* HORA *est ante Vesperas paulò post horam meridiei, ut detur exteris ad propria reditus.* Hæc inibi. E Turri Cathedralis Aquisgranensis agebatur ostensio septennalis Reliquiarum tempore Petri Beeckii, de qua supra, juxta ejusdem testimonium. *Beeck. in Aquisg. cap. IX.*

At

XXVII.

Ostensiones in Ecclesiis: & quibus locis.

AT si Basilicæ reputabantur idoneæ concursantibus recipiendis, loca extra illas non quærebantur. Eminentiores utique partes designabant Antistites, ut commodè quisque suspicere

Concil. IV. Prov. loc. cit.

posset, quod volebat. *E superiori loco*, S. Carolus ait, Reliquiæ ostenduntur. Unde ostenderetur

Andre. Cret. loc. cit.

Crux Hierosolymitana edicit Andreas Cretensis: *Qui Clavum susceperunt* PONTIFICIUM *in* EXCELSUM ECCLESIÆ LOCUM *conscendentes hanc gloriosissimam & vel maximè adorandam Crucem* OSTENDUNT *populis*. Locus verò Cathedræ formam habebat, & Constantino Magno authore gloriabatur ἱεράθεον

Acta S. Theod. Cœnob. ap. Sur. ad d. 11. Januar.

dictus, ut testatur Scriptor Actorum S. Theodosii Cœnobiarchæ: *Jeratheon*, inquit, *locus erat, quem fama est excitasse Constantinum Magnum, in quo mos est, qui perpetuò servatur, ut Crux quotannis* EXALTETUR. Monachi Corbejenses Reliquias ostenderunt S. Adhalardi, quod narravimus

Apud Mabillon. par. I sec. IV. Bened. sup. cit.

num. XXIII. *Ascendentes gradus* PULPITI: sic loquitur historia inibi citata. E simili pegmate in Ecclesia S. Mariæ de Lyreio Diœceseos Trecensis promebatur Sudarium Taurinense: adi eruditum

Chifflet. op. cit. cap. XVII. p. 101.

Chiffletii opusculum. Gregorius IX. capita SS. Apostolorum cum Cruce Domini ex ambone Vaticanæ Basilicæ Clero, & Populo monstravit: sol-

Rasp. descrip. Eccles. Lateranen. cap. XIX. l. 4.

lemnitatem descripsit præ cæteris Cardinalis Rasponus in suo Patriarchio Lateranensi. De ambone pariter consuetum est, ut ostendatur Linteolum,

quod

quod Moguntiæ colitur, affirmante Serario. Cardinalis Urſinus Reliquias, de quibus jam ediſſeruimus, in Cathedrali Eccleſia Beneventana repertas populo ex ambone ſuis manibus propoſuit: acta Synodi II. Provincialis hoc notant variis in locis. Pluribus modò Italiæ Urbibus, quas, ni brevitati conſultum vellem, nominarem, uſus viget e pulpitis Reliquias monſtrandi. Romæ monſtratas vidi e pulpito die SS. Philippi, & Jacobi in Baſilica XII. Apoſtolorum. De cætero mos noſtris temporibus ut plurimùm obtinuit hunc exercendi Ritum ex odæis, ſeu potiùs marmoreis mœnianis, aut podiis, prout vocat Chiapponus infra non ſemel nec abſque laude citandus, ad laterales majores Eccleſiarum paraſtatas ſitis, quod in pleriſque Romanis Baſilicis cernere licet, ut puta S. Petri, S. Crucis in Hieruſalem, aliiſque. Partes ſublimes Altarium, quæ opercula vocantur, in media Templi navi collocatorum, opportunitatem etiam præbent tali celebritati: ex illis oſtendi Reliquias videmus in Eccleſiis Lateranenſi, Sanctæ Mariæ Majoris, & Sanctæ Mariæ Trans-Tyberim. Nec tacendum quòd ſollemnes oſtenſiones fieri interdum conſueverint ex ipſis Altaribus. Exempla in promptu. Non ſolùm ſupra verticem montis oculis exhibita lipſana S. Bertæ per manus Epiſcopi, ſed etiam de Altari: *Inventum* (corpus S. Virginis) *Blangiacum reportatum, ac ſuper* ALTARE *collocatum, poſt verò unius anni ſpatium à* PRÆSULE *Terruanenſi eſt* OSTENSUM. Ita ſcribit author hiſtoriæ apud Mabil-

Serar. de reb. Mog. l.1. c.17.

Acta Concil. II. Prov. Benev. an. 1698. pag. 47. & alibi.

Mabillon. cit. ſec. VII.

billonium. In Ecclesia Vesontina monstratum olim sacrum Linteum de Altari discimus ex vetustissimo Rituali a Chiffletio perlustrato, de quo subtus plura eruenda. Corpus S. Hildefonsi ex Ara maxima Basilicæ *Zamorensis* pariter prolatum historia supra memorata manifestò significat. Sudariolum Christi Compendiense sub ejus Inventione, seu potius decentiori repositione, quæ contigit regnante Francisco I. Galliarum Monarcha, manu Antistitis Suessionensis ab Altari elevatum *Plebi*, ut loquitur instrumentum super his confectum, monstratum est: vide Crisin historicam Chiffletii. Neapoli nunc ampullæ sanguinis B. Januarii aliquoties monstrantur ex Altari Ecclesiæ Cathedralis: id apertè narrat locus historiæ describendus num. XXXIII. In Civitate Biturgiensi, seu Burgi Sancti Sepulchri insignis Lipsanotheca apud princeps Templum de Altari ostenditur sollemni specialique Ritu, qui dissertationem nostram pluribus locis illustrabit. Exactam hujus ostensionis enarrationem audivi a Collega meo in Basilicæ Transtyberinæ servicio Josepho Lancisio ejusdem Urbis Patricio ornatissimo. *Per longitudinem* TABERNACULI Præsul spectandum præbuit caput Sanctæ Virginis Aldegundis, quod notat historia translationis A. D. MCCCCXXXIX. Quæ verba quid significare velint, an Altaris ambitum, an spatium universi operculi, divinandum lectori relinquo.

Apud Chifflet. c. X. p. 54. & seqq.

Histor. Invent. corp. S. Hidelf. sup. cit.

Chifflet. c. XXVI. p. 157.

Histor. translat. S. Aldeg. an 1439. ap. Bollan. loc. cit.

Si

XXVIII.

Singularis locus ad exaltandam Crucem Cpoli selectus.

SILENTIO premere non debemus singularem locum, quo Crux Domini Cpoli aliquando ostendebatur. Palatium Cæsareum patebat quotannis populis adventantibus ob exaltationis sollemnitatem. In Triclino res agebatur: vivificum lignum Ecclesiastici ordinis Antesignani proferebant extructo suggesto, quod constat testimonio Codini ἐν τῇ τῆς ὑψώσεως τοῦ σταυροῦ ἑορτῇ γίνεται διὰ ξύλων ἀναβάθρα ἐν τῷ Τρικλίνῳ, ἣν καὶ ἐνδύνουσι βλαττίῳ κοκκίνῳ: idest: *die exaltationis Crucis fit e Ligno* TABULATUM *in Triclinio, quod etiam induunt panno* COCCINEO .... Quàm vastum ædificium τρικλίνου esset, adeoque aptissimum innumeris confluentibus continendis eruditissimè, ut solet, describit non semel clarissimus Dufresnius in sua Cpoli Christiana.

Codin. Curopal. de off.

Dufresn seu Cagius Cpol. Christ. l. 3. cap. 50. p. 45. l. 2. n. 4. p. 113. & seqq.

XXIX.

Ornatus locorũ, e quibus Reliq. ostenduntur.

ANTEQUAM aliò divertatur oratio vellem lector expenderet, quàm rectè & ex Ecclesiæ probatissima institutione Romæ, alibique agatur, dum ornantur sacra pegmata sericis, cæterisque id genus integumentis in ostensionibus Reliquiarum, quod attingit eruditus Chiapponus in opere, quod citamus num. LXII. Allatum Codini fragmentum veterem hunc Ritum abunde confirmat, quicquid garriant nostri temporis Hæretici sacros ornatus perperam irridentes. Sed de his alii.

V. tom. I. Anecdot. Anton Murat. in Dissert. de Eccl. ornat. contr. Ottium Calvinist.

 OPE-

XXX.

Miniſtri oſtenſionum Eccleſiaſtici inſigniores. Et primò Pontifices Max.

OPERÆ pretium nunc eſt Miniſtros oſtenſionum inveſtigare. Sciendum itaque tanto ſemper in honore habitas ſacroſanctas Reliquias, ut nunquam promerentur, niſi per Præſules ſupremos, aut digniores poſt illos Eccleſiaſticos Viros. Summos Pontifices non rarò hujuſmodi ſollemnia celebraſſe poſteritati conſignarunt ſcripta hiſtoricorum. Gregorius IX. quod ſupra vix indicavi, ſuis manibus in Templo Vaticano Capita Apoſtolorum oſtendit: id clariſſimè enunciat Epiſtola Clementis IV. ad Iſabellam Franciæ Reginam, quæ gloriabatur Caput S. Pauli dono a Græcis recepiſſe: *Scias*, inquit Clemens, *Apoſtolorum Capita Romæ indubitanter haberi, quæ fel. record. Gregorius Papa IX. prædeceſſor noſter de Sanctis Sanctorum extrahens* SVIS MANIBVS *Romano populo* PATENTER EXHIBVIT .... Integram Epiſtolam legeſis præcipuè apud Raynaldum in Annalibus. Cauſſam hujus oſtenſionis mox afferemus ex narratione Cardinalis Raſponi. Urbanus V. monſtravit Romano populo eadem Capita Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli recèns inventa, quod accidiſſe A. D. MCCCLXVIII. Kal. Maii author mihi Boſquetus in ejus Vita. Sed audiamus ex proceſſu pro illius Canonizatione digeſto in ſecretioribus Vaticanis pluteis latente facti ſeriem: *Urbanus V. perſonaliter*, ita Codex, *coram Senatore, majoribus Urbis, & nonnullis Cardinalibus perquiſivit in Cappella, quæ dicitur Sancta Sanctorum.*

Raynald. to. XV. contin. Annal. ad an. 1268. nu. 50. vide, & anecdot. Marteniana.

MS. proceſſ. pro Canoniz. Urb. V. in Arch. ſec. Vatic. fol. 124. a T.

rum apud Lateranensem Ecclesiam Reliquias....
Inter cætera invenit Capita SS. Apostolorum Petri, & Pauli in vasculis argenteis parvis recondita, & quæ populo Romano in platea ante dictam Cappellam ADHOC *congregato* OSTENDIT IPSEMET ... *Deindè per manus Guillelmi Episcopi* HOSTIENSIS, *& Nicolai* CARDINALIS *Vercellensis* . Bonifacius VIII. visendam proposuit Veronicam Regibus Carolo Siciliæ, & Jacobo Aragonum, testantibus Literis Apostolicis datis Rectori, & Fratribus Nosocomii S.Spiritus, quæ videri possunt apud Annales Bzovii. Pium II. jam diximus ministrum hujus Ritus fuisse. Innocentius VIII. Lanceam, quæ Christi latus perforavit, e Græcia Romam delatam ostendit multitudini in platea Palatii collectæ. Legendus inter alios authores Gaspar Alverus in sua Roma. Res acta anno MCCCCXCII. Leonis X. exemplum aliis jungamus. Hic quum accessisset religionis ergo ad Sancta Sanctorum in Oratorio S. Laurentii veneranda lipsana propiùs inspecturus, ea, postquam pietati suæ indulsisset, adstantibus e quibusdam fenestellis manu ostendit, sicut compertum est ex Panvinio talia scribente in libello de VII. Urbis Ecclesiis. Verùm cur prætercam memorabilem ostensionem actam a SS. Pontifice Clemente XI. qui, quum elucubratiunculam hanc Typis committere seriò pararem magno Catholicæ, ac Literariæ Reipublicæ mærore e vivis abreptus est? Anno MDCCIX. sollemni supplicatione postridie Kal. Januarii clarissimus iste universæ Ecclesiæ Antistes in Basilicam Va-

Lit. Bonif. VIII. frat. hosp S.Spirit. ap.Bzov.loc. cit.

Alver Roma in ogni stato tom.2. giorn. 12. p 215.

Panvin. de sept. Urb. Eccl. c. IV. p.194.

ticanam ἀχειροποιήτην Imaginem Lateranensem S. Salvatoris transferri mandavit, variis commissi sibi gregis angustiis ad implorandum auxilium ex alto compellentibus: sequutus Ipse sacram Icona ab Ecclesia S. Mariæ supra Minervam, in quam pridie illata privatim fuerat, usque ad Templum Principis Apostolorum, pedestri gressu, acerbissima licèt sæviente hyeme, nec satis firma valetudine. Translatione expleta, super Aram Basilicæ maximam pretioso thesauro collocato, ascendit Pontifex Odæum Veronicæ, & cæterarum Domini Reliquiarum, singulasque consueto more populo ferme innumerabili monstravit. Ostensionis memoriam posteris transmisit V.Cl. Candidus Cassina Sedis Apostolicæ Cæremoniarum Præfectus, ac in Basilica Transtyberina olim Canonicorum Decanus in suis MSS. Diariis, quæ modò apud Tabularium Magistrorum Cæremoniarum Quirinale asservantur. Ex illis pauca ad Ritum nostrum spectantia liceat eruere, & huic opusculo inserere; sunt autem, quæ sequuntur. *Mox ad locum ubi sacræ Reliquiæ servantur ascendit* (Pontifex) *una cum duobus Eminentiss. Diaconis Cardinalibus, nempè Astallio, & Othobono, & Illustriss. Præfectis Palatii, & Cubiculi, ac Massaio Pincerna, nec non Dño Chiappono, & me Magistris Cæremoniarum tantùm, cum aliquibus Canonicis, ibique genuflexus*, NUDATO CAPITE, *factâ* CONFESSIONE *more Basilicæ Vaticanæ*, SINE CHIROTHECIS, *inter præfatos Eminentiss.* DIACONOS *sacras Reliquias, nempè ferrum Lanceæ, Crucem, & Vultum Sanctum*, OSTEN-

Diar. Mss. Cand. Cassinę ad ann. 1709. d. 2. Jan.

OSTENDIT, *&* TER CVM VNAQVAQVE BENEDIXIT, *&* *pulsatæ fuerunt* CAMPANÆ *more solito. Omnes Eminentiss. Cardd. genuflexi steterunt cum puluvinis semicirculum facientes ante Confessionem prout solent feriâ VI. in Parasceve. Pontifex cùm* SVA *precatoria* CORONA *sacras Reliquias* TETIGIT, *&* *maxima benignitate, & clementia idem fecit cùm mea. Consolationem majorem habere non potui, quam ad dictum locum ascendere, Reliquias adeò insignes cominùs videre, & præ manibus habere; nam ex* CONSTITUTIONE APOSTOLICA *tantùm* CANONICI *Basilicæ Vaticanæ ad dictum locum ascendere possunt.....* Hæc MSS. Diaria.

XXXI.

SANCTÆ Romanæ Ecclesiæ Cardinales nonnunquam ostensiones peregisse ex pluribus conjicimus. Verba Processus Urbani V. supra descripta ostensionis ministros post Pontificem fuisse Cardd. Hostiensem, & Vercellensem non ambiguè denunciant. Sindonem Taurinensem, quumprimùm a S. Carolo invisa est, duo eximii Cardinales præter duos Archiepiscopos, & Episcopos e loco superiùs memorato explicarunt. Ab Archipresbyteris Patriarchalium Urbis aliquando monstrata sacra lipsana constat lectione operis Pii II. infra allegandi. Insuper nostris temporibus, anno scilicet MDCCXVII. prid. Kal. Junias, festivitate recurrente S. Petronillæ, in Basilica Vaticana Christi effigies, aliaque venerabilia Domi-

Cardinales ministri ostensionum.

Giussan. l. 5. c. 5. Vit. di S. Carlo.

Pii II. Comment. lib. 8. p. 203. n. 3. edit. Basil. 1614.

mini monimenta per manus Eminentifs. ALBANI Card. Archipresbyteri oftenfa funt. Cauffam accipe. JACOBUS III. Magnæ Britanniæ Rex, quo hofpite etiamnum Roma gloriatur, pietate illa ftimulante, quam boni omnes admirantur diliguntque in tanto Principe tot titulis de Catholica Ecclefia meritiffimo, pignora Vaticana infpectare atque adorare optabat. Itaque Cardinalis Archipresbyter Illi Pontificis juffu ad gradus, qui tendunt ad pegma Reliquiarum, deducto fuis manibus facratiffima Chrifti Lipfana fufpicienda atque ofculanda tradidit. Secuta poftea ex apice Odæi manu Canonicorum extra ordinem populo oftenfio. Accuratam hujus oftenfionis defcriptionem mihi communicavit Vir omnigena eruditione clarus, & juvandis literariis amicorum laboribus natus Johannes Baptifta Gamberuccius Pontificius Cæremoniarum Magifter.

XXXII.

Romæ quinam Miniftri in Bafilicis.

IN Romanis Ecclefiis, quibus miniftrant Canonici, unus ex eorum cœtu Reliquias profert, qui in ordine presbyterali eft conftitutus. De Canonicis S. Petri teftimonium habes infra ex Chiappono fupra laudato. Pro Canonicis Bafilicæ S. Mariæ Trans-Tyberim legi poffunt verba Conftitutionum ejufdem proferenda num. LXXV. Verum quidem privilegio Apoftolico conceffam interdum monftrandi facultatem Ecclefiafticis Viris, Epifcopis tamen, inter Canonicos non

non adſcriptis. Hoc evenit juxta animadverſionem Gaſparis Alveri, quum Urbanus V. Pont. peculiari tempore oſtendendam commiſit Veronicam Epiſcopo Aretino Urbis Vicario. Literas Pontificis alibi citavimus. Notandum tamen eſt ſpeciale hoc eſſe privilegium Baſilicæ Vaticanæ, ut ſoli Canonici queant Reliquias oſtendere, imò ad locum oſtenſioni deputatum aſcendere, quod innuunt Diaria mox allegata. Aliòqui liberum in aliis Eccleſiis oſtenſionem committere cuicumque Eccleſiaſtico Viro aliqua dignitate præcipuo, prout non rarò contingit in Baſilica Liberiana. Quippe Epiſcopus ille, qui die oſtenſioni deſtinata munus ibidem Pontificale exercet, licèt Canonicus non ſit, Reliquias oſtendit. Præterea Canonici Baſilicæ Calliſtianæ Sanctæ Mariæ Trans-Tyberim, ſi velint ad promenda ſacra lipſana aliquem Urbis Prælatum invitare, poſſunt ex præſcripto Conſtitutionum Cardinalis Altaempſii Titularis, in quibus hæc leguntur: *Reliquiæ populo* OSTENDANTUR *per aliquem* PRÆLATUM, *& illo deficiente per* CANONICUM ..... Neque recentiora ſtatuta ſubtus adducenda hoc vetarunt. In cæteris Urbis Eccleſiis aut Epiſcopus aliquis rogatus, aut qui ſacra ibi ſollemniter eo die perſolvit, aut quicumque Præſidibus earumdem placuerit oſtenſionis celebritatem exequitur.

Alver. Roma to. 2. giorn. 12. pag. 213.

MSS. Diar. D. Caſſ. ſup. cit.

MSS. Conſtitut. Card. Altaemp. c. XLV. in Arch. Baſil.



EPI-

XXXIII.

Extra Urbem ostendunt Episcopi, & digniores Sacerdotes.

EPISCOPI in aliis orbis Regionibus Ministri ut plurimùm hujus sollemnitatis sunt, aut saltem insigniores Presbyteri. Varii historiarum textus supra sparsim allati, & infra afferendi hanc veritatem edocent. Sed, ut hoc loco uberior rei detur notitia, alia exempla ob oculos ponenda. Urbis Hierosolymitanæ Episcopi non solùm testimonio Andreæ Cretensis, quod protuli num. XXVII. at etiam verbis S. Paulini tamquam ministri celebris Exaltationis Crucis promulgantur. EPISCOPUS URBIS (Hierosolymitanæ) *quotannis*, inquit Vir Sanctus, *cùm* PASCHA *Domini agitur adorandam populo* (Crucem) *Princeps ipse adorantium* PROMIT. Anno MCCCXCII. Gallias devastantibus Anglis, quum Cœnobium quoddam Petragoricense insidiis hostium pateret, in eoque asservaretur unum ex Linteolis Domini, Archiepiscopus Tholosanus illud ad Metropolim suam transtulit, ostenditque suis, & plurimorum Præsulum manibus ingenti hominum multitudini: hęc Du-Catellus historicus non infimi subsellii: *La Translation du dit Saint Suaire fut faite le iour, & fête des SS. Simon & Jude de la dite annèe: Au-quel jour Messire Pierre* ARCEVESQUE *de Tholose accompagnè de* NEUF PRELATS MONSTRA *sollemnellement le dit Saint Suaire en l'Eglise de S. Roch novellement bastie en presence de plus de trente mille hommes, qui s'estoint là assemblèes pour le voir*. Moguntiæ Serarii ætate Epi-

S. Paulin. ep. II. ad Sever.

Ducatel histoir. du languad. l. 5. p. 928.

Episcopus Suffraganeus Lintei ostensionem conficiebat juxta ejus authoritatem inferiùs excribendam. Addamus hic locum Curopalatæ, quo agit de ostensione Crucis in Cæsarea Constantini civitate: illo enim nihil aptius effingi potest ad rem nostram stabiliendam ὁ πατριάρχης οὖν ἐλθὼν ἐπ' αὐτῆς, εἰ ἄρα εὑρίσκεται, ἢ τὶς τῶν πατριαρχῶν, ἐὰν ἐνδημῶν ᾖ, τὴν σταυροῦ ποιεῖ ὕψωσιν, ἐὰν δὲ τούτων οὐδεὶς εὑρίσκεται, ὁ πρωτοπαπᾶς ποιεῖ τοῦτο: quæ sic vertuntur: PATRIARCHA *igitur* (Cpolitanus) *Illud* (Tabulatum) *ascendens*, *si aderit*, *aut aliquis* PATRIARCHARUM, *si ille absit*, *facit Crucis* EXALTATIONEM, *si horum non adest quispiam* PROTOPAPA *facit illam*. Dignitas Protopapæ summa erat post Patriarchalem in Ecclesiasticis functionibus, quod præstat intelligere ex verbis ejusdem Codini: ὁ πρωτοπαπᾶς ἔκδικος, καὶ πρῶτος τοῦ βήματος, καὶ φέρων τὰ δευτερεῖα τοῦ ἀρχιερέως: videlicet: *Protopapa defensor*, *&* PRIMUS *in Tabernaculo*, *seu in loco Altaris* SECUNDAS A PATRIARCHA *obtinens*. Dignitas quoque ostendentium, & mos, ut ab Episcopo tale ministerium exerceatur deprehenditur ex decreto S. Caroli super expositione Reliquiarum, & pro ostensionibus juxta ea, quæ aliàs memoravimus, accipiendo: *A Sacerdote*, inquit, *qui* POST EPISCOPUM *in illa Ecclesia* DIGNIOREM *sacerdotalem* LOCUM *obtinet*, *nisi aliquando* EPISCOPUS *ipse id munus sibi obeundum censuerit*, *exponantur*, *&* *recondantur*. Hucusque S. Antistes. Propositum etiam nostrum probant conventiones

Serar. de rebus Moguntiac. lib. I. cap. 17.

Codin. Curopal. de offic. Aulæ cit.

Id. cap. 1. nu. 30. de off. Ecclesiast.

Concil IV. Prov. loc. cit.

 fa-

factæ inter Archiepiſcopum, & Magnates Neapolitanos ann. MDCXLVII. circa Reliquias S. Januarii a ſupra memorato Religioſo Hiſtorico evulgatæ: XII. conventio eſt, *che ſtando le Reliquie eſpoſte nell'*ALTARE *maggiore debba* MOSTRARSI *il ſangue dal Canonico deputato da ſua Eminenza, e ne' ſeggi, ove è ſolito* MOSTRARSI *dal Signor* CARDINALE, *&* ARCIVESCOVI *predeceſſori, lo* MOSTRERA' *in ſua aſſenza il* PRIMICERIO *del Capitolo, ò in ſuo difetto una delle* DIGNITA' *di eſſo*.

Hieronym. M. à S. Anna hiſt. Vit. S Janu. l. II. c. 16. p. 216. Ital.

XXXIV.

Laici Principes oſtendunt Reliquias: ſed Eccleſiaſticis adſcripti, vel de licentia Pontificum.

LAICIS Principibus voluntas quandoque oborta celebriores Reliquias oſtendendi, numquam tamen, quod mihi innoteſcat, id efficere potuerunt, niſi poſtquam Eccleſiaſticis Viris fuerunt adnumerati, vel ſaltem ab Eccleſiæ Præſulibus ſpeciali venia communiti. Sacra Domini pignora Vaticana non unum ſuppeditant exemplum Principum hac de cauſſa inter Eccleſiaſticos cooptatorum: qui fuerint commemorare non pigeat. Fridericus III. Imperator Canonicus declaratus S. Petri Veronicam monſtravit A. D. MCCCCL. quod conjicimus ex monumentis Maffæi Veggii. Uladiſlaus Regis Poloniæ, & Sveciæ filius, Urbano VIII. Catholicum ovile regente, Romam venit anno MDCXXIV. Hunc inter Canonicos adſcitum, Odæum aſcendiſſe, & Veronicam, Lanceam, ac Domini Crucem oſtendiſſe narrat Paullus Alaleo in ſuis Diariis Cæremoniarum ad diem XXX. De-

Maff Veg de mirab. Baſil. Vatic.

Alaleon. Diar. MSS ad d. 30. Decemb. an. 1624 in Arch Quirin. Magiſtr. Cæem.

Decembris. Eodem Canonici Privilegio ornatum Magnum Hetruriæ Ducem Cosmum III. ab Innocentio XII. clariss. recordat. Pontifice similiter Reliquias Vaticanas monstrasse anno Jub. MDCC. non pauci testantur ex authoribus, qui circumferuntur, inter eos Anonymus, qui gesta per Europam a Pace Pirenęensi usque ad Rastadiensem evulgavit an. MDCCXVI. Apud illum verò hæc leguntur, *Pridie Kal. Junii, Romam omissâ famulitii pompâ, sed clamosæ famæ præconio jam diu publicus advenit Cosmus III. Magnus Hetruriæ Dux, & Pontificem Innocentium, & sacras Urbis Basilicas singulari obsequio, & multiplici pietatis contestatione veneratur: a Pontifice vicissim omni comitatis, & religionis officio exceptus est: concesso ei* LICET VXORATO CANONICI S. PETRI *titulo, &* PRIVILEGIO, *ut* HABITV SACERDOTIS *ejus Basilicæ Reliquias ipse proximus adoraret, quin & populo* SPECTANDAS EXHIBERET. Ita ille in aliquo notandus, sicut alibi apparebit. Ostensio acta est III. Non. Junii. Quæ hucusque dixi proposito argumento firmando satis esse nemo non videt, sed quia hoc loco desiderare quispiam poterit formulam Chartæ Privilegii, quo Principes Canonici designantur, & accuratiorem Cæremoniarum in hujusmodi ostensionibus servatarum descriptionem, utrumque præstabo, si & Apostolicas literas pro Magno Duce expeditas, & perbrevem, sed exactam ejus ostensionis seriem e Diariis supra laudati Canonici Candidi Cassina excerptas modò hic annectam. Et primò accipe Privilegii literas.

Synop. rer. gest. per Europ p. 351. edit. Norimberg.

Ex MSS. Diar. Cand Cassin ad d. 3. Junii ann. 1700.

Dilecto filio nobili viro Cosmo Hetruriæ sibi subjectæ Magno Duci.

INNOCENTIUS PP. XII.

Dilecte fili, nobilis vir, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

„ DUM Nobilitatem Tuam eximiis naturæ, „ gratiæque divinæ muneribus cum spe- „ ctata erga Nos & Apostolicam Sedem fide „ & devotione conjunctis multipliciter perful- „ gentem paterno affectu consideramus tanto „ perfundimur animi gaudio, tamque vehemen- „ ter urgetur sincera Nostra in Te charitas, ut „ eam Pontificiarum gratiarum, quibus Tua pie- „ tas majora in dies suscipere valeat incrementa, „ singulari aliqua largitione sibi testatam veli- „ mus. Itaque Te specialibus favoribus, & gra- „ tiis prosequi volentes, & a quibusvis excom- „ municationis, suspensionis, & interdicti, aliis- „ que Ecclesiæ sententiis, censuris, & pœnis a „ jure, vel ab homine, quavis occasione, vel „ causa latis, si quibus qnomodolibet innodatus „ existis, ad effectum præsentium dumtaxat con- „ sequendum harum serie absolventes, & abso- „ lutum fore censentes, motu proprio, ac certâ „ scentiâ, & maturâ deliberatione nostrâ, de- „ que Apostolicæ potestatis plenitudine TE BA- „ SILICÆ PRINCIPIS APOSTOLORUM DE URBE CA- „ NONICUM supranumerarium tenore præsentium

fa-

„ facimus, constituimus, & deputamus, Tibique,
„ ut omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, &
„ indultis, quibus alii ipsius Basilicæ Canonici
„ de numero utuntur, potiuntur, & gaudent, &
„ pari modo, & æquè principaliter, absque ulla
„ prorsùs differentia uti, potiri, gaudere liberè
„ & licitè possis & valeas, harum serie concedi-
„ mus, & indulgemus. Mandantes prætereà in
„ virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis
„ Nostræ, & aliis arbitrii Nostri pœnis dilectis
„ Filiis Archipresbytero, ac Capitulo, & Cano-
„ nicis dictæ Basilicæ, cæterisque ad quos quo-
„ modolibet spectat, ut Nobilitatem Tuam sta-
„ tim visis præsentibus, etsi nullam desuper
„ possessionem acceperis, nec ullum de obser-
„ vandis ejusdem Basilicæ Statutis juramentum
„ præstiteris, nec Clericus, minusve Civis
„ Romanus originarius, aut Civis Romani ori-
„ ginarii filius sis, neque alia requisita habeas,
„ imò conjugatus existas, privilegiis, gratiis, &
„ indultis hujusmodi uti, frui, & gaudere per-
„ mittant, ac etiam decernentes irritum, & inane,
„ si secùs super his a quoquam quavis auctoritate
„ scienter, vel ignoranter contigerit attentari.
„ Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis,
„ ac dictæ Basilicæ etiam juramento, & confirma-
„ tione Apostolica, vel quavis alia firmitate rò-
„ boratis statutis, & consuetudinibus, privile-
„ giis quoque, & indultis, & literis Apostolicis
„ eidem Basilicæ, illiusque Archipresbytero, Ca-
„ pitulo, & Canonicis præfatis, ac quibusvis aliis
in

„ in contrarium præmissorum quomodolibet con-
„ cessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omni-
„ bus, & singulis eorum omnium tenores præ-
„ sentibus pro plenè, & sufficienter expressis
„ habentes, & illis aliàs in suo robore perman-
„ suris hac vice dumtaxat specialiter, & expresse
„ derogamus, cæterisque contrariis quibuscum-
„ que non obstantibus. Datum Romæ apud San-
„ ctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris
„ die secunda Junii an.MDCC. Pontificatus Nostri
„ anno nono.

I. F. Card. Albanus.

Ostensionis modò Cæremoniam habe, prout illam describit memoratus Cassina, qui postquam narravit, quod Serenissimus Princeps indutus fuerit in Palatio Vaticano per Magistros Cæremoniarum Apostolicos habitu eorum, qui ab intimo Cubiculo Pontificis vocantur, ac deinde Superpellicio, & Rochetto, quodque descendens scalam tendentem ad Sacellum SS. Sacramenti a Capitulo ibi exceptus fuerit, ac post recitationem literarum Privilegii medius cœperit incedere inter duos e Canonicis, qui fuere de Molaria, & Andreas Riccius, comitantibus variis e Pontificis Domesticis, Militibusque Helvetiis stipantibus *effusis*, inquit, *precibus* (in Sacello SS.Sacramenti &c.) *ad Veronicam accessit* (Pius Princeps) *maximo quidem conatu*, TANTA *enim fuit pressura populi, ut diu ad dictum locum accedendum quamvis adessent milites Helvetii, laboravimus. Ascendit itaque Serenissimus*

mus Magnus Dux ubi sacræ Reliquiæ asservantur, easque maxima devotione, ac pietate veneratus est, deindè sumptis CHIROTHECIS *medius inter duos Canonicos* (nempe Ulixen Gozzadinum, & Vincentium Riccium) SINE STOLA *populo, ut de more,* OSTENDIT *primò Lanceam, secundò Crucem, & tertiò Vultum Sanctum, & pariter consueto more* TRINAS BENEDICTIONES *cum sacris Reliquiis populo largitus est,* BRACHIA *hinc inde* SUBLEVANTIBUS *dictis duobus* CANONICIS, *primò in medio, deindè ad latera .... In sacrario habitum* CANONICALEM, *& subtanam dimisit, quæ omnia Magistris Cæremoniarum dictæ Basilicæ* (Vaticanæ) *Sacristanis, Mansionariis, aliisque ibi inservientibus dono dedit, & sacras Reliquias in eodem sacrario asservatas invisit*. Hactenus Diaria. Singularem veniam obtentam credendum est ab Apostolico Legato, & Episcopis per Ludovicum VII. Franciæ Regem A. D. MCLXXVII. quum iste Reliquias in Ecclesiâ S.Frambaldi pro nova constructione dirutâ repertas Sylvanecti delatas extra Civitatem *e loco eminenti* ostendit: factum accipimus ex instrumento propter hæc scripto, quod legitur in Bibliotheca Labbæana: *Invenimus*, inquit, *Reliquias sanctas multò plures, atque insigniores, quam sperabamus. Rex autem plurimùm lætus super hoc effectus est, & constituit diem Idus Maii, quo, posthabitis aliis negotiis, destinavit venire, suâque præsentiâ Ecclesiam, & Reliquias honorare, sed & tanti* SEMINARII OSTENSIONEM GENERALITER *cuicumque præcepit* DENUNTIARI ..... *Die præfixa cum Domino* To. II. Bibl. Labb. p. 560.

Re-

Rege affuerunt Episcopi Dominus Henricus Episcopus Sylvanectensis, D. Simon Meldensis, & CUM HIS, & MAGNATIBUS Viris, & populo copioso Dominus Rex Reliquias EXTRA CIVITATEM *devotè, & cum magna reverentia* DEPORTANS USQUE AD LOCUM EMINENTEM *sequutus est* ... Sic instrumentum. Adfuit & Cardinalis Legatus S. Sedis, qui & sermonem fecit, & indulgentias largitus est, ut suis locis dicemus.

XXXV.

Cur laici Principes Reliquias ostendere nequeant authoritate propria.

QUODSI inquiras cur speciali licentia, vel Ecclesiastico charactere, qui idem sonat, opus fuerit Principibus viris facili negocio responderi potest. Siquidem juxta morem antiquissimum, legesque probatissimas Ecclesiæ vetitum laicis Reliquias tangere. Synodales Constitutiones Ecclesiæ Constantiensis in Galliis argumento sint disertissimo: *præcipimus, ne* LAICI *Reliquias* TRACTENT .... *Qui contrafecerit excommunicetur*. Quo tempore hæ constitutiones fuerint efformatæ, inferiùs pandemus. E Laicorum numero nec Reges excludi declarat numquam satis laudandus S. Cardinalis Borromæus his verbis: *Ne sacræ Reliquiæ per* LAICOS ETIAM CUJUSUIS ORDINIS, ET DIGNITATIS HOMINES ULLO MODO TRACTENTUR, *nec verò* TANGANTUR, *cum hoc sacrilegum, ac minùs propterea ferendum esse S. Gregorius Pontifex scribat*. Vides hunc morem vel ab ætate S. Gregorii peti posse. Scio quidem aliquando a Laicis absque

Ap. Marten. tom. IV. anecdot. pag. 809. c. XXVIII.

Concil. IV. Mediolan. cap. I. de Reliqq.

abſque ulla venia, & privilegio tractari Reliquias, ſcio etiam ut plurimùm (quod infra latè diſcutiemus) eaſdem oſtendi occluſas thecis, adeoque immediatè tangi non poſſe. Verùm hæc ad oſtenſiones agendas propria authoritate neminem Laicorum queunt impellere. Quippe tunc Reliquias impunè tractant, quum neceſſitas poſtulat, quod uſuvenit in artificibus, qui illis ornandis & infra loculos thecaſque inſerendis neceſſariam dant operam. At quæ neceſſitas, ut oſtendantur a Laicis, quum Urbes Sacerdotibus abundent? Inſuper artificum tractatio privatim agitur, oſtenſio verò ſollemnis præſertim pluribus nobilitatur Eccleſiaſticis Cæremoniis, quæ ſolis Clericis conveniunt. Quod thecas ſpectat, illæ a ſacris pignoribus ſanctificantur, ſpecies evadunt Reliquiarum, induuntque earumdem ferme naturam & venerationem, unde præclarè S. Jo. Chryſoſtomus δύνανται καὶ θῆκαι μαρτύρων πολλὴν ἔχειν δύναμιν, ὥσπερ οὖν καὶ τὰ ὀστᾶ τῶν μαρτύρων πολλὴν ἔχει τὴν ἰσχύν. Quæ ſonant latinè: *poſſunt &* THECÆ *Martyrum multam habere* VIRTUTEM, UTI ET OSSA *Martyrum multam vim habent*. Fusè de hoc argumento diſſerit alibi commendatus Buldethus, quem adeat eruditus lector.

S. Johan. Chryſ. de SS. Bern. & Proſdoc.

Boldet. lib. III. cap 9.

XXXVI.

SED jam expendendum erit quis modus, qui Ritus, quæve Cæremoniæ ſervarentur in his oſtenſionibus, præcipuè ſollemnioribus: Quan-

Modus oſtendendi Reliquias ſollemniter.

Mart. V. epist. apud Raynald. alib. cit.

doquidem *certo modo & ordine* Reliquias monstrandas monebat Martinus V. in Epistola num. XXI. producta. Manibus accipiebant plerumque memorati ministri sive ipsa pretiosa lipsana omnibus operimentis soluta, sive thecas, quibus includebantur, inde lentè sese undequaque vertentes populis objiciebant. Ita factum noscimus in ostensione Reliquiarum Sanctæ Aldegundis A. D. MCCCCXXXIX. de qua supra: *Cùm per tabernaculi longitudinem venerabilis Præsul ipsum honorabile caput* OSTENDENDO MOROSE' GYRASSET, *ad locum veteris sepulchri reversus translationi intendit devotissimè*. Hæc author historiæ. Haud aliter nunc agi videmus in Urbanis Basilicis. Talem observari modum, dum ostenduntur lipsana Aquisgranensia, citatus Petrus Beeckius affirmat. Crucem Hierosolymis proferebant Episcopi IN ALTUM EXTOLLENTES (verba sunt Andreæ Cretensis) & *sæpè* IN SUBLIME EXTENDENTES. In altum pariter sustulisse, dum primæ translationi S. Aldegundis intendebat Cameracensis Antistes fragmentum historiæ supra excriptum disertè testatur. Nec ratione diversa monstrabatur Crux Domini in aliis Orientis partibus, quemadmodum comprehenditur ex Menæis Græcorum.

Histor. Translat. S. Aldeg. an. 1439. ap. Bolland. alib. cit.

Petr. à Beeck. in Aquisgr. cap. IX.

Andr. Cret. cit. serm. II. de Cruc.

Histor. Translat. S. Aldeg. an. 1161. apud Bollan. 30. Januarii.

Mena. Græc. ad d. 14. Septemb.

XXXVII.

Nudæ ostendebantur Reliquiæ quandoque. Id vetitum ab Ecclesia.

INNUI paullò ante nuda aliquoties ostensa sacra pignora. Id colligi potest ex verbis Scriptoris ostensionis corporis S. Adhalardi Abba-

batis, & S. Austrenomii, ne quid dicatur de ostensione capitis S. Clementis, cujus historiam habebis infra num. XLI. Clarissimè hoc etiam testificatur Scriptor historiæ translationis vetustioris S. Aldegundis toties commemoratus. Mos tamen, seu potiùs abusus iste prohibitus ab Ecclesia juxta assertionem Duranti, qui innititur authoritati Innocentii III. *Circa Reliquiarum cultum observandum est*, inquit, *ne* ANTIQUÆ RELIQUIÆ EXTRA CAPSAM *ostendantur*. Authoritas Innocentii III. nihil aliud est, quàm Canon LXII. Concilii Lateranensis IV. varia circa cultum Reliquiarum constituens præsentiâ, doctrinâ, & confirmatione Innocentii suffultus: *Cùm* EX EO QUOD, ita Canon, *quidam Sanctorum Reliquias exponant venales, & eas* PASSIM OSTENDANT, *Christianæ Religioni sit* DETRACTUM *sæpiùs*, *ne* DETRAHATUR *imposterùm præsenti decreto statuimus*, *ut* ANTIQUÆ RELIQUIÆ *amodò* EXTRA CAPSAM *non* OSTENDANTUR, *nec exponantur* VENALES. Concilium celebratum est A. D. MCCXV. Magno plausu, debitâque obedientiâ excepta sanctio Lateranensis apud Catholicos Antistites. Hinc a pluribus inter Synodalia Diœceseon constituta singulariter descripta fuit. Porro sic actum ab Episcopis Cadurcensi, Ruthenensi, & Tutellensi anno MCCLXXXIX. qui populis decretum evulgarunt penè ipsis verbis ab Innocentio desumptis. Vide Synodales Constitutiones harum Ecclesiarum in Collectione Anecdotorum Martene ac Durandi novissimè impressa. Imò decretum Sy-

Durant. de Ritib. Eccl. Cathol. l. I. c. XXV. n. 9.

Can. 62. Concil. IV. Lateran. in Collect. Concil. Et in III. Decretal. c. cum ex eo. tit. de Reliq. & venerat. SS.

To. IV. anecdot. p. 730. n. XX.

nodi Ecclesiæ Constantiensis in Normannia sub ipso Lateranensis Concilii tempore emanatum ab eodem Constitutionem hanc accepisse fatetur dilucidè; *item præcipimus*, hæc in citata collectione, *sicut* CONSTITUTUM EST IN CONCILIO LATERANENSI, *quod antiquæ Reliquiæ amodò* EXTRA CASSAM *nullatenus ostendantur*, *nec exponantur venales*. Ecclesiæ interdictum postea renovavit, clariùsque expressit post plura secula in suis ordinationibus de Ecclesiastica disciplina restituta meritissimus S. Carolus: *Nullo modo illæ* (Reliquiæ subaudiantur) *ab operimento*, *aut velis* NUDÆ OSTENDANTUR, *exponanturve*. Laudat hoc decretum Thiersius in opusculo alibi citato, ejusque authoritatem pluris facit. Ea ætate, qua floruit S. Carolus, alia Concilia Provincialia sanctionem Lateranensem commemorarunt. Enimverò id egit Concilium Bituricense A.D. MDLXXXIV. celebratum *Reliquiæ*, inquiens, *non* OSTENDANTUR *extra capsam*; Id etiam Aquæ-Sextiense anno MDLXXXV. Denique & Tolosanum anno MDXC. hæc decrevit: NUDÆ *passim populo* (Reliquiæ) *non* OSTENDANTUR. Subsequenti seculo nuditatem Reliquiarum vetuit Concilium Aurelianense nempe A. D. MDCLXIV. ne quid dicam de Synodo Hostiensi, ac Veliternensi, cujus locum infra exponam, ac de Synodo Montisfalisci, de qua subtus.

Ibid. pag. 809. Synod. Constit. Eccl. Constant. cap. XXVII.

Acta Eccl. Med. Concil IV. Prov. par. I. pag. 93. col. 1. edit. Lugdun.

Thiers. de l'exposit. du S. Sacrem. l. I. cap. 19. p. 130.

Tit. X. can. 2.

Tit. de Reliq.

Cap. II. n. 3.

V. Thiers. loc. cit.

*****

DE-

XXXVIII.

DECENTISSIMUM erat, ut Lateranense mandatum in memoriam a SS. Cardinale, aliisque Episcopis revocaretur, nam scio post ætatem Innocentii interdum monstratas Reliquias sine ullo operimento, quod compertum sit lectione historiæ ostensionis Reliquiarum apud Corbejam novam, de qua nos num. XVII. Instrumenti visitationis sacrorum pignorum S. Launomari, ac fragmenti narrationis translationis Sanctæ Aldegundis an. MCCCCXXXIX. quæ pariter supra recensuimus. Nihilo tamen secius hoc rarissimò evenisse opinor, & solis occasionibus ut plurimùm aut inventionis, aut visitationis, & recognitionis Reliquiarum, quibus eas difficillimum est thecis obtectas ostendere, rarissimò, inquam, nam penè omnia exempla, quæ Synodi tempus subsequuntur, monstratas enunciant e capsulis huic usui deputatis. Sanè Christi Domini Spineam Coronam *cum loculo* prolatam jam vidimus num. XXV. Leo X. Pontifex Maximus facultatem tribuit Episcopis Syracusano, & Scuttarensi perquirendi, & inspectandi Reliquias B. Conradi Placentini Heremitæ apud Civitatem Netinam collocatas. In Epistola eorumdem relatoria, quam profert Waddingus in Annalibus Minorum tale habemus testimonium de usu ostendendi cum thecis: *Vidimus*, sic ibi, *& manibus nostris contrectavimus Caput, & Brachium unum dumtaxat a Corpore segregatum, quod* qui-

Reliquiæ post prohibitionem ostenduntur nudæ aliquando: sed rarissimò, & nõnullis ex caussis.

Vadding. to. IV. n. 31. ad an. 1345

quidem Brachium THECA ARGENTEA *coopertum in ejus honorem populis* OSTENDI *religiosè consueverat*. Aliud exemplum ab ostensione ossium S. Neoti vide supra num. XIX. Nunc, quod sciam, nullibi ostenduntur Reliquiæ nisi suis arculis, turriculis, aliisque id genus vasculis, quorum notitiam eruas, quicumque legis, ex opere Canonici Buldethi, copertæ e circumposita crystallo solummodò spectabiles. Quodsi alicubi nudæ fortè monstrantur optandum esset, ut Præsides Ecclesiastici Canonum præscripta præ oculis habentes abusum tollerent, sicuti laudabiliter nuper egerunt Patres Cœlestini in Civitate Aquilana. Etenim apud eorum Monasterium pluries annuatim, præsertim die XXVIII. Augusti, ostendebantur lipsana B. Petri Cœlestini a Ministro hujus Cæremoniæ omnino nuda in altum sublata. Quod indecorum quum videretur ac valde indecens, monstranda thecis conclusa optimè decreverunt. Hæc omnia mihi narravit testis oculatus, & fidei non dubiæ.

Boldet. l. 3. c. ult.

XXXIX.

Ante prohibitionem non sempet Reliquiæ ostendebantur nudæ.

VERUM tamen est ante Lateranense Innocentii decretum non insolitum prorsus, ut Reliquiæ haud nudæ monstrarentur tunc præsertim, quum modica quantitate constarent. Hoc pro certo habeo contigisse in Monasterio S. Petri Vivi. Anno circiter MCXX. Alexander presbyter a sacello Comitis Stephani celeberrimarum Reliquiarum plura fragmenta clanculum accepta a Custo-

ſtode earumdem apud Regem Hieruſalem, dum, jubente Principe, donum ex illis pararet Comiti dandum; in Europam deportavit, eaque Cœnobio S. Petri Vivi largitus eſt: priùs verò quàm reconderentur, oſtenſa ſunt ſuis thecis incluſa, quod puto concipi poſſe ex textu Chronici hujus Monaſterii a me perlecti in Spicilegio Dacheriano: *Elevans itaque Domnus Abbas*, ait Chronicon, *tanta*, *& tam magna munera reverſus eſt ad propria*; *recepta ſunt autem* CAPSELLÆ *Sanctarum Reliquiarum a Clero*, *& populo*, MONSTRATA *ſolemniter*, *&* DEOSCULATA *II. Kal. Novembris*. Credibile ne igitur modica certè fruſta Reliquiarum *e capſellis* fuiſſe eruta, ut monſtrarentur, atque oſculanda traderentur? Sed hoc probatur cumprimis vetuſtiſſima conſuetudine vocitandi reliquiarias thecas *monſtrantias*. Inſigne produxit de hoc documentum doctiſſimus Cangius in gloſſario latino ex actis S. Quirini: *effluxi ſanguinis teſtimonium prabet quadrangularis argentea* THECA, *ut vocant*, MONSTRANTIA, *in qua ſub vitro cryſtallino cruor incluſus continetur*. *Monſtrum* etiam hac de cauſſa dicuntur in Inventario Eccleſiæ Eboracenſis: *Item unum* MONSTRUM *cum oſſibus S.Petri in Beryl*, *& Crucifixo in ſummitate*: conſule Monaſticon Anglicanum. De hac denominatione videſis pariter ſæpè laudatum Buldethum.

Chronic. S. Petr vivi to. II. Spicileg. Dacher.

Cang to. II. Gloſſ. Latin. L. M. ex act. S. Quirin. n. II.

To. III. Monaſt. Anglic. p. 173.

Boldet. l. 3. c. ult.

NON-

XL.

An liceat post prohibitionem interdum nudas Reliq. ostendere?

Synod. Bud. constit. 57. cit.

Microlog. de Ecclesiastic. observ. cap. XXI.

NONNULLIS temporibus, ut nudæ ostenderentur sacræ exuviæ, permisisse videtur Synodus Budensis in Constitutione multoties citata; at in exemplum hoc adduci posse minimè crediderim, quum aperta obstet Concilii OEcumenici vetatio: *Si enim sententia provincialis Concilii*, secundùm effatum Micrologi, *generali Ecclesiæ consuetudini præjudicare non potest*, multo minùs abusum a Conventu Ecclesiæ universali profligatum poterit tueri.

XLI.

Caussæ vetandi nudas ostensiones.

Abbas in decretal. cap. cum ex eo *apud Sign. de Reliqq.*

Fagnan. par. II. partis 3. decret. cap. cum ex eo *num. 28.*

CAUSSAM cur ab Ecclesia nuda Reliquiarum ostensio profligaretur, quam obscuris illis verbis involuit Synodus Lateranensis *cùm ex eo quod Christianæ Religioni sit detractum sæpiùs*, fuisse censet Abbas Panormitanus *quia cùm ossa* NUDA OSTENDUNTUR TEPESCIT *multorum* DEVOTIO, *&* DETRACTORIBUS *datur obloquendi causa: dicunt enim, quod si fuissent sancti, ossa illorum non fuissent sic dispersa, non advertentes omnibus generaliter dictum esse, Cinis es, & in cinerem reverteris, illis exceptis, quibus singularem gratiam Deus facere voluit, ut corporibus B. Mariæ Virginis, & S. Johannis Evangelistæ ....* Aliam caussam addit clarissimus Fagnanus, ne scilicet daretur occasio Reliquias auferendi, & hinc falsas pro veris supponendi. Docti Viri ratio quàm prudens, & veritati sit

fit consona furtum Cpoli factum ex parte probat: idque eo magis, quòd acciderit paullo ante Concil. Lateranensis convocationem nempe A. D. MCCVI. Capta jam per Francos Imperiali Urbe, ac Balduino ad rerum summam evecto, aliqui ex victoribus surrepturi sacras Reliquias, quæ in Gallias transmitterentur, Cœnobium S. Mariæ de Trentafolio nuncupatum adierunt Monachos deprecantes, ut spectanda exhiberent pretiosa lipsana, quorum ibi copia, prætextu orationis: *Accessimus* (sic ex illis unus apud Scriptorem contemporaneum in Bibliotheca Cluniacensi legendum) *ad Monachos loci illius rogantes, ut nobis SS. Reliquias causa orationis* OSTENDERENT. *Illi verò quendam Clericum nobis tradiderunt, qui nos custodiret, & ea, quæ petebamus*, OSTENDERET: tulit ille ante eorum conspectum capsulas, sacrasque exuvias retexit. Franci verò Clericum ut oculos averteret verbis factisque paullatim effecerunt, & tunc partem capitis S. Clementis furati sunt, quam postmodum Cluniacum deportari curarunt. Adi, si vis, benigne lector, prolixam narrationem memorati Scriptoris. His omnibus annectas, quod in nuda ostensione Reliquiarum particulæ casibus subjiciuntur. Insuper debita sacris pignoribus reverentia operimentùm necessariò exquirit. Neque hæc mea tantùm sententia, sed Gonzalii Decretalium accurati & eruditi Commentatoris: *Cùm* REVERENTIA, ita ille, *debeatur Sanctorum Reliquiis, non debent* IRREVERENTER OSTENDI, *sed intra* CAPSAM. Hoc intelligi non ambigo a Patribus Concilii I.

Bibl. Cluniac. pag. 1486. histor. exception. cap. S. Clementis.

Gonzalez in Decretal. lib. III. l. 3. tit. 45. de Reliq. & venerat. SS. n. 7. p. 867. edit. an. 1693.

 Aqui-

In to. IV. Concil. edit. Binii.

Aquilejensis anno MDXCVI. coacti sequenti decreto: *Præcipimus Episcopis, ut ita in Ecclesiis, in quibus est Reliquiarum celebriorum quantitas, illas omnes distincto quodam ordine in Reliquiarium arte dispositum & expolitum inserant* CRYSTALLO *singulis* THECIS *superadjecto, ut* VIDERI REVERENTER *possint*. Quæ Ecclesiæ reverentia erga sacras Reliquias postea adeò excrevit, ut usum invexerit hoc exercendi ministerium manibus sericis aureisque chirothecis obtectis, quod infra fusè expendemus.

XLII.

An quædam Reliquiæ ostendi possint nudæ secundùm verba Concilii Lateranensis?

NEc putandum, quia Canon Lateranensis prohibet *antiquas* Reliquias extra capsam ostendi, quæ non antiquæ sunt, nudas ostendi posse; Concilium enim in eo decreto antiquas intelligit, quæ approbatæ jam fuerunt, quæque jam venerationem nactæ sunt, & circa illas decernit; & hinc est, quod subdit de non approbatis differens, *Reliquias verò* DE NOVO *inventas nemo publicè venerari præsumat, nisi priùs authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ*. Ex quibus verbis vides antiquas esse, quæ approbatæ, quæ contra, novis adnumerari. Fac igitur de novo inventæ approbentur, tunc antiquarum naturam accipient, ac legem, ne *extra capsam ostendantur*. Præterea si nonnullas Reliquias nudas monstrari posse Concilium intellexisset S. Carolus Canonum peritissimus gravem prohibitionem suam limitas-

Canon citat. 62. Concil. IV. Lateran.

tasset, ac doctissimi hujus decreti commentatores aliquid indicassent. Altissimum tamen apud illos de his silentium.

XLIII.

QUONIAM in hoc explicando Canone toti modò sumus notandum est alios abusus in ostensionibus serpentes præter nuditatem Reliquiarum per eundem nobis detegi, ac damnari. Certè eas *passim ostendi* reprobatur, quod aliàs leviter animadverteram, idque exploratissimum indicium est talem abusum Innocentii ætate viguisse. Præterea expressa prohibitio *ne venales exponantur* quamvis strictim attingat venditionem Reliquiarum juxta observationem laudati Fagnani, attamen eo etiam authore significat venalem ostensionem. Hosce abusus sicuti & alios circa cultum Reliquiarum necessariò eliminandos nobis testantur illius seculi Scriptores. Liber unius uti authoritate, qui cæteris acriùs insectatur hujusmodi Ecclesiasticæ disciplinæ calamitates, præcipuè ostensiones absque operimentis, easque cotidianas, auroque intercedente. Guibertus Venerabilis Abbas de Novigento in opere de Sanctorum pigneribus hæc habet libro primo: *Apud splendidissimum Papam Gregorium hi, qui corpora Paulli Apostoli, Laurentiique Martyris inscii conspexere, gravissimè sunt puniti: quid de iis judicium proferetur, quibus avaritia sola in causa est, & corpora Sanctorum faciunt irrequieta dispergi, imò ut sic* di-

Frequentia ostensionum, & quæstus a Concilio prohibētur. Alia de his abusibus.

Fagnan. loc. cit. n.II. & IV.

Guibert. Novigentin. l.I.c.IV. §.I.

dicam , pro sola oblationum illatione COTIDIANO *ostentui haberi? Solent namque pixidibus eburneis nuda Sanctorum ossa contegere , & ad tempus & horam* PRETIO SE INGERENTE RETEGERE . Hæc eo loco

Id. lib.III. c.ult. §.V. Guibertus, qui librum tertium postea ita claudit : QUÆSTUM *autem ex Sanctorum vel circumlatione , vel* OSSIUM EORUM OSTENSIONE *quærere quàm profanum sit discite , si velitis æquè Sanctos avaritiamque taxare* . Abusum venalis & nimis frequentis ostensionis crediderim prohiberi a Synodo Ecclesiæ Meldensis , cujus statuta leguntur

To. IV. anecdot. p.898. tit. 31. inter anecdota Marteniana . Lata sunt paullò post Concilium Lateranense nempe anno MCCXLV. & complectuntur præcipuè varia decreta adversùs nonnullos gyrovagos *Prædicatores* . *Non permittantur* , inquit Synodus , *Prædicatores supra arcas celebrare , pulsare campanas , nec loqui in Ecclesiis, nec* PRÆSENTARE RELIQUIAS . Præsentare Reliquias idem esse ac monstrare colliges non tantùm ex

Cang. tom.III. Gloss. Latin. L.P. locis authorum a Cangio productis in Glossario ad hoc verbum , sed infra ex verbis Scriptoris Vitæ S. Hildelfonsi Toletani . Nimis frequentem & extra festivitates ostensionem expresse inhibuit

Concil. Avenion. Tit. XXV. Synodus Avenionensis A.D. MDXCIV. sic enim ait : *Non* VULGO , *neque* FACILE NIMIS FREQUENTERVE *populo* (Reliquiæ) *conspiciendæ* PROPONANTUR , *sed diebus dumtaxat* SOLLEMNIBUS . Sacrum verò Tridentinum OEcumenicum Concilium tacitè vena-

Trid. sess. XXV. de invocat. SS. & vener. Reliqq. lem ostensionem a Lateranensi damnatam pariter profligandam decrevit illis verbis: ***In Reliquiarum veneratione omnis turpis*** QUÆSTUS ***eliminetur***. Turpis

pis quæstus abusum in propositione Reliquiarum e Synodis Italicis nostro tempore celebratis, quas vidimus, Diœcesana Montisfalisci & Corneti A. D. MDCXCII. singulariter prosternit. Ejus locus alibi occurret. De aliis modo abusibus pauca datâ opportunitate dicantur.

XLIV.

In privatis ostension. cuicumque ostendi non debere Reliqq.

IN privatis ostensionibus cavendum, ne cuicumque Reliquiæ exhibeantur. Præter abusum quæstus hoc inhibuit sapientissimè S. Carolus in I. Provinciali Synodo: NE TEMERE', ait, *exponantur Reliquiæ* OMNIUM OCULIS *ex loculis, & receptaculis, ubi conditæ sunt, neve* QUÆSTUS *gratia*. Juxta mentem igitur Sanctissimi Cardinalis scripsit piissimus Gallorum Princeps Ludovicus XIII. quum A. D. MDCXIX. Monachos Archicœnobii S. Dionysii prope Parisios passim, parum decenter, ac cuicumque celebres Reliquias ostendentes literis datis redarguit, ac inposterum curam omnem in hoc negocio bene gerendo impendendam monuit. Literarum Synopsin apud Felibienum Monasterii accurat[illegible] historic[illegible] sic lego: *Sà Majestè leurs marque en propres termes, qu'elle à receu plusieurs plaintes sur peu de devotion, que l'on garde à* MONTRER *les saintes Reliques au Tresor de leur Eglise: & qui souvent foi il est arrivè, qu'en à refusè la veüe à des personnes de qualitè, qui ont etè postposèes à une infinitè des gens de basse condition, au quels on ne fait point de difficultè de*

Act. Ecclesf. Mediol. tom. I. Concil. I. de SS. Reliq. venerat.

Felibien. histoir. de l'Abbaye de S Denys l. VIII. num. 24 p. 441.

les

les faire voir ; ce pource que c'est , ajoute-t-il, contre l'intention des Rois Nos predecesseurs Nous vous mandons , que vous aiez à donner ordre , que l'ouverture n'en soit plus desormais si FREQUENTE , *qu'elle à etè jusque à present à notre grand regret ,* NI MONTREES A TOVTE SORTE DE PERSONNE ; *il declare ensuite plus expressement , quel' est son intention : Il dit qu' il n'entend pas neanmoins , que l'ouverture du Tresor soit refusèe aux Ambassadeurs , aux Seigneurs , & autres de qualitè , & de merite , ni meme aux parens des Religieux de l'Abbaye , sur l'assurence , qu' il à , qu' on s'y comporterà modestement ; il finit èn les exhortant d'y tenir la main, comme leur devoir les y oblige .* Hæc sunt Rege Christianissimo sensa dignissima . Ob recensitam tamen epistolam nolim quispiam in animum inducat a me vel minimum quid tribui voluisse potestatis laicis viris super dirigendis Reliquiarum ostensionibus , adeòque in ecclesiasticam messem manum apponendi. Jure id,an injuria actum a Rege non examino : factum nemo negabit , illud tantummodo a me relatum sciat . Variæ quidem perpendi possunt in hac re circumstantiæ : quod scilicet Cœnobium illud speciali gaudet Regum Christianissimorum patrocinio,quos & fundatores probat Felibienus : quod agebatur de ostensionibus Ecclesiæ Cæremoniis vacuis , ac omnino privatis : quod Reliquiæ a Regibus donatæ fuerant ; quod abusus tollendi erant clamantibus ad Regem pluribus ; præterea putarim literas eo consilio Monachis missas , ut quæ Præsides Ecclesiastici

de

de his conſtituerant, terrore Regis conſcii firmiùs obſervarentur: tandem, ſi placet, exceſſus pietatis id fuit in Principe religioſo.

XLV.

Oſtenſiones ex curioſitate, & levi cauſſa prohibentur.

DUM ſermo eſt de abuſibus noſtri Ritus reticere non poſſum decretum Synodi Hoſtienſis & Veliternenſis, quo Cardinalis Alderanus Cybo imperavit, ne ob levem cauſſam, & curioſitatem Reliquiæ monſtrarentur. *Non* OSTENDANTUR, inquit, *ſacræ Reliquiæ* OB CURIOSITATEM, *nec ex qualibet* LEVI CAUSA, *ſed ob ſolam devotionem, habita* DIERUM *ratione &* PERSONARUM, *nec* EXTRAHANTUR *e vaſculis*.... Nota etiam renovationem Innocentianæ prohibitionis, & confirmationem nonnullorum, quæ ſupra diximus. Synodus congregata eſt noſtra ætate, anno videlicet MDCXCVIII. Cæterùm, quod curioſitas veros Catholicos non impellat ad ſollemnitates oſtenſionum adeundas, probabitur infra, quum de concurſu. Satis jam de abuſibus.

Synod. Hoſt. & Velit. Tit. XXII. de Sac. Reliqq. n.6.

XLVI.

Habitus oſtendentium Reliqq. Aliqua de co[illegible] partium ejuſdē.

ALIQUA nunc dicenda de habitu miniſtrorum oſtendentium. In translationibus, ſiquæ oſtenſiones contigerint, crediderim miniſtros uſos ſemper ſuperpellicio, ſtola, ac pluviali; Hoc enim veſtimentorum genus præſcribit Rituale Romanum in his functionibus. Rocchettum, prout vo-

Ritual. Roman. Tit. de Translat. Reliqq.

vocant, adhibuisse loco superpellicii opinor; quibus competit adhibere. Episcopi, quum ostendunt transferentes, Pontificalibus ornamentis translationibus convenientibus induuntur. In brevibus translationibus infra septum Ecclesiarum scio, pluviali prætermisso, stolâ, superpellicio, & rocchetto, si uti fas est, imposito posse ostensiones celebrari: sic factum meminit instrumentum alibi allegatum translationis Reliquiarum apud S. Petrum ann. MDCVI. quod liquet ex sequenti textu: *Inde RR. DD. Canonici Sc. Paulus Bizonus accepit Vultum Sanctum, Pomponius de Magistris Lanceam, & Comes Octavius Estensis Caput S. Andreæ Apostoli induti* STOLIS *super* ROCCHETTUM, *&* SUPERPELLICIUM, *& quilibet ipsorum comitatus a duobus Canonicis descenderunt ex Archivio....* Sequitur narratio translationis, & adventus ad Odæum; inde talia subduntur: *Canonici tunc* OSTENDERUNT *populo, ut moris est, S. Andreæ Caput, Lanceam, & S. Sudarium, quibus ostensis aptaverunt easdem Reliquias in sua fenestra, & loco ad id fabrefacto; Illustrissimus Cardinalis* (Archipresbyter, qui aderat) TER ILLIS INCENSUM OBTULIT, *&* ORATIONES *præscriptas dixit*. Statutis ostensionibus stolâ, aliisque modò dictis indumentis amiciuntur Canonici Patriarchalium Urbis Basilicarum, ac insignis Collegiatæ S. Mariæ Trans-Tyberim. Reliqui Sacerdotes in hujusmodi ostensionibus stolâ saltem, & superpellicio uti tenentur, quod monet Signius capite citato, ac Synodus Diœcesana Montisfalisci, cujus Canonem in-

Instrum. Jacob. Grimald. Notar. apud Bzov. loc. sup. cit.

Sign. de Reliqq. cap. XLI.

infra lector percurret. De cætero in his etiam standum consuetudini Ecclesiarum, nam scio nonnullis locis statuto tempore ostendi Reliquias Ministro pluviali induto ; sic agitur in ostensione sollemni Biturgiensi, quam memoravimus num. XXVII. sic Assisii, quum Velum Deiparæ spectandum datur juxta quæ dixi num. XXVI. Hinc mirum non est si Beatus Cardinalis Borromæus has ostensiones designans de indumentis edidit sequens decretum : *Is* (exponens seu ostendens Reliquias) *superpellicio, ac stolâ,* SEU *pluviali pro Reliquiarum, Ecclesiæve ratione indutus sit*. Ab Episcopis in eorum Diœcesibus Pontificalia indumenta sumi debere etiam extra tempus translationum doceor a Beneventana Cardinalis Ursini ostensione. Græcos *omnem sacrum ornatum* induisse in Exaltatione Dominicæ Crucis discendum ex loco Menæorum mox exscribendo. Canonicus Burgensis *sacra indutus veste* Reliquias ostendebat, ut ex documento infra afferendo constabit. Color sive stolæ, sive pluvialis, aut alius serici vestimenti ab ostendentibus adhibiti aptari debet qualitati Reliquiarum. Romæ statis ostensionibus utimur rubeo colore, quia major sacrorum lipsanon pars e Martyrum ossibus componitur.

To. I. actor. Med. Concil. IV. Prov. loc. cit.

Acta Synod. II. Prov. Benev. sup. cit.

Menæ. Græc. ad d. 14. Septemb.

Martyrol. Hisp. Salazar. tom. 2. d. 9. April. p. 552.

XLVII.

Quod diximus de usu stolæ intelligendum est pro ostensionibus ab Episcopis, & Sacerdotibus actis, non verò a laicis Prin-

Principes laici ostendentes stolam non induerunt, & quare.

cipibus, ut singulariter observandum existimarunt Paullus Alaleo in enarratione ostensionis per Uladislaum, de qua supra, & Candidus Cassina in citatis Diariis. Certè hoc rationi valde consonat: quippe stola Sacerdotum insigne quum sit, atque ita veraciter appelletur a præclaro Pontifice Nicolao I. in Epistola ad Clerum Gallicanum, *Per* STOLAM, inquit, *quid aliud*, *quàm* SACERDOTIS *declarantur* INSIGNIA? solùm illis competere propriè potest. Hinc compertum fit parum aptè loqui Authorem Germanum a nobis jam allegatum, dum *habitu Sacerdotis* indutum scribit Magnum Hetruriæ Ducem in ostensione notissima: Habitus, quem gessit merè Canonicalis fuit, cuique initiato tantùm ad Clericatum Canonico accommodus, solaque in his functionibus Sacerdotes stola distinguit ac denunciat.

MSS. Diar. Alaleon. sup. cit. Cassin. Diar. ms. ad d. 4. Jun. 1700

Epist. Nicol. I. ad univ. Cler. Gallic. in Conc. Rom. VII.

XLVIII.

Ostendentes Chirothecis utuntur & quare. Color earumdem.

UTUNTUR insuper Ministri ostensionum Chirothecis: qui mos inolevisse creditur ad declarandum quanta veneratione ac reverentia dignas putet Ecclesia sacras Reliquias, quæ easdem nudatis manibus tangi non permittat. Hunc morem apprime custodiri Romæ scimus. Hunc commemorat toties laudatus Cassina, & novissimè Canonicus Buldethus in suo opere Reliquiario, qui notat purpureas ut plurimùm Chirothecas adhiberi. Vide etiam textum Chiapponi infra num. LXII. Ratio eadem est, quam adduxi superiùs,

Cassina in Diar. loc. nunc cit. Boldetb. lib. III. cap. XXI. p. 750.

riùs, quum de colore vestium differebam. Cæterùm qualitas eorum, quorum Reliquiæ sunt, inspicienda.

IL.

Papà non adhibet Chrirothecas an aliqua ex caussa?

NEc usui Chirothecarum derogat historia ostensionis factæ a Summo Pontif. Clemente XI. quam e Diariis Canonici Cassina accuratè descripsi. In ea siquidem legitur Papam a Chirothecis abstinuisse. Casu id accidisse nunquam putarim, rationem tamen cur ita factum sit hactenus ignoro: nisi fortè ea fuerit, quia Summi Pontificis majestas & Cœlo proxima authoritas tanta reputetur, quæ sacra lipsana familiariùs, ut ita dicam, debeat contrectare.

L.

Ostendentes Reliqq. nudant caput.

ALiud reverentiæ genus præstatur a Ministris ostensionum sacris pignoribus. Nudato capite tale munus exercent. Citatus Canonicus Cassina apertè testatur ipsum Pontificem hunc Ritum non omisisse. Vide ejus textum num. xxx. Neque dicas Episcopos ostendentes Pontificalibus indutos actu ostensionis mitram non deponere (certè sic Romæ agunt Episcopi siqui invitantur ad hanc functionem in ostensionibus Reliquiarum apud Basilicam XII. Apostolorum) adeoque tecto capite tale munus exerceri posse; Nam mitra juxta penè omnium Ritualium authorum consen-

M 2 sum

sum non est operimentum capitis, sed ornamentum; unde Magrius absolutè ait in Jerolexico, *Mitra est Episcopale capitis ornamentum*.

Magr. L. M.

LI.

De comitibus, & auxiliantibus ostendentes, eorumque habitu.

SOLENT Romæ ministrum ostendentem duo alii Ecclesiastici viri concomitari, & brachia manibus suppositis sustinere, ut cautiùs scilicet ac majori honorificentiâ res agatur. Pontifex Maximus, ut narrat mox nominatus Cassina, duos adhibet S. R. E. Diaconos Cardinales. In Basilicis ex ordine Canonicorum ad hoc ministerium assumuntur, qui eo induti sunt habitu, ac si Chori servicio æstivo tempore interessent: testimonium si quærimus, a narratione ostensionis actæ a Magno Hetruriæ Duce peti potest, & a multoties commemorato Chiappono. Unicuique Ecclesiarum suus mos est de eorumdem selectu: In Basilica Transtyberina alter e cœtu Diaconali, alter hypodiaconali deputatur: Percurrat lector Constitutionem Basilicæ inferiùs adnotandam. Canonicus ostendens Reliquias in Civitate Biturgiensi a quatuor Canonicis associatur: Hi tamen pluvialibus amiciuntur, ne scilicet habitu a ministro discrepent. Aliæ Urbes alias habent consuetudines, quæ servari debent; quas & referrem, nisi supervacaneum omnino censerem. Saltem unius ministri assistentiam requirere videtur ostendentibus Reliquias Card. Barbadicus in Synodo Montisfalisci. Vide hic num. LVI.

So-

LII.

Solent præterea nonnullis in locis ostendi Reliquiæ adstantibus pluribus e Clero sacris indumentis præcinctis. Certè apud memoratam Civitatem Biturgiensem universus ferme Clerus adstat pluviali circumornatus. Et ut remotiora ac antiquiora exempla producam, Norimbergæ narrat alibi allegatus Pirckeimerus Ecclesiasticos viros *divinis exuviis onustos* ostensionis sollemnitatem auxisse. Dum monstraretur sacra Christi Corona in campo Parisino jam novimus authoritate Galteri *Ecclesiasticos Conventus indutos sericis* præsentes fuisse: imò plures ex illis alia Sanctorum pignora manu gestabant, sed hic ritus verè non ostensionis proprius, sed translationis. Innumera hujus occursus Reliquiarum legi exempla; At de his alii. Quænam sint *serica indumenta*, & *divinæ exuviæ* in citatis Scriptoribus non apparet. Non incredibile tamen putarem per ea verba pluvialia subintelligi.

Ostensionibus adstant Clerici eximiè induti.

Pirckeim. histo-ric. cap. 5. cit.

Hist. Translat. Spin. Coron. ap. Duschen.sup cit.

Boldet. lib. III. *cap.* 17.

LIII.

Peculiaris consuetudo obtinuit apud Canonicos Vaticanæ Basilicæ recitandi genibus flexis *Confessionem* cum oratione propria ante susceptionem Venerabilis Veronicæ, & aliarum Domini Reliquiarum. Laudabili consuetudini inhæsisse Clementem XI. anno MDCCIX. in ostensione jam descripta tradunt MSS. Diaria D. Cassina. Ora-

Confessio & preces ante ostensionem juxta usum Canonicorum S. Petri.

Cassin Diar. an. 1709. 2. *Jan. sup.*

Oratio propria, quam lector fortassis perlegere optabit, quum a nemine, quod sciam, edita sit, eruta de schedis Vaticani Archivi hìc placet ut exscribatur.

Facta confessione potest recitari subsequen. Oratio

Oremus.

DOmine Jesu Christe, cujus latus lanceâ unus militum aperuit, & qui Crucis tormentum pro nostra salute subire voluisti, præsta quæsumus, ut sancti tui Vultus livores meditantes, & maculas nostras deplorantes vitam consequi mereamur æternam. Qui vivis & regnas &c.

Circa hanc orationem notandum, eandem esse rectè accommodatam ordini ostensionis singularum Reliquiarum; primò enim ostenditur lancea, inde portio Crucis, demum Veronica. Vide historiam ostensionis Magni Ducis. Consuetudo recitandi orationes ante susceptionem Reliquiarum ab Ecclesia est plurimùm probata: Quippe videmus Episcopos, priusquam attingant Reliquias Altarium consecrationi destinatas, varias preces effundere, quæ legi possunt in Pontificali Romano.

Pontif. Rom. tit. de Consecr. Altar.

LIV.

Ritus habendi sermones ante, aut post ostensiones.

PRIUSQUAM ostensionum sollemnia fierent, aut etiam postea, moris erat interdum habendi ad populum sermones sive ad excitanda devotionis

nis femina, sive ad laudes eorum, quorum essent Reliquiæ, declarandas, sive ad aliquam caussam aperiendam, quam Reliquiarum præsentia roboraret. Talis mos adhibitus in ostensione Reliquiarum Basilicæ S. Frambaldi Sylvanectensis, de qua supra; Siquidem instrumentum sollemnitatem referens *in loco eminenti* celebratam hæc ait, *ubi divina providentia ordinante* SERMONEM *fecit Dominus Petrus S. R. E. Presbyter Cardinalis Titulo S. Chrysogoni, & Sedis Apostolicæ Legatus....* Author historiæ translationis corporis Sanctæ Berthæ OSTENSUM dicit *Virginis caput completo ad populum* SERMONE, quem peroravit Episcopus. Gregorius IX. auxilium expostulaturus SS. Apostolorum contra nefarios Friderici Imperatoris conatus jam jam hostili manu Urbis mænibus appropinquantis eorum Capita cum Ligno S. Crucis extraxit de Patriarchio Lateranensi, quod aliàs monui, inde sollemni universi Cleri supplicatione indicta ad Vaticanum perrexit ex ambone monstraturus: priùs verò luculentissimam habuit orationem, qua omnes hortatus est, bono animo essent, a SS. Petro & Paullo opem implorarent, postea præsentia capitum fortissimorum Heroum corda inflammarent ad arma, quod ut lubentiùs efficerent, bellum sacrum in Fridericum promulgavit: superiùs citatus Rasponus, ne alios Historicos, & Annalistas recenseam, latè hanc celebritatem exequitur. Instrumentum alibi memoratum de inventione Linteoli Dominici Compendiensis enarrat, antequam populo monstraretur, *publi-*

cum

Ap. Labb. Bibliot. tom II. pag cit.

Apud Mabillon. sec. VII. Benedict. alib. cit.

Card. Raspon. Descript. Patriarch. Lateran. lib. IV. cap. 19.

Apud Chifflet. c. XXVI. p. 150. de Lint. sepulchr.

cum declamatorem de illo verba feciſſe. Hiſce ſermonibus placitum aliquando majoribus noſtris populis pandere hiſtorias translationum Reliquiarum, & miracula per eaſdem, Domino permittente, patrata. Talia complecti debebat oratio habenda poſt oſtenſionem nonnullorum e ſacris pignoribus Venetæ Urbis, quæ divinitus, prout aliàs dixi, illæſa remanſerant, rebus cæteris per voraciſſimum incendium abſumptis. Sic teſtatur Rhenerius Zeno Reip. Dux A. D. MCCLXV. in epiſtola, qua Oratores ſuos adire jubet Pontificem, cumque certiorem reddere eventus apud Canonicum Stringa legendâ: *Cùm noviter*, inquit, *in feſto B. Aſcenſionis Domini ſacræ Reliquiæ cum ligno Crucis, ampulla de Sanguine Chriſti, & Vertice B. Johannis Baptiſtæ more ſolito* OSTENSÆ *populo fuiſſent*, DICTO PER FRATREM PRÆDICATOREM, *quem ad hoc clamari fecimus*; QUALITER *dictæ Sanctæ Reliquiæ de Hieruſalem opera S. Helenæ in Conſtantinopolim fuerunt deportatæ*; & QUALITER *Dominus Noſter Jeſus Chriſtus ipſas in Civitate Venetiarum cum corpore B. Marci Evangeliſtæ voluit collocari*: NEC NON *ingenti* MIRACULO, *quod oſtendere voluit per ipſas Reliquias, cùm ab igne evaſerint intactæ*..... Hæc ille ad rem noſtram. Conſuetudinem habendi ſermones in oſtenſionibus apprime ſervandam indixit S. Carolus in Concilio IV. Provinciali, quo & cauſſam utilitatemque ejuſdem, qua ratione, quove miniſtro res ſit agenda, explanavit loquens præſertim de oſtenſione Reliquiarum Sanctorum: *Cùm item*, ſic Antiſtes Bea-

Stringa deſcriz. de la Chieſa di S. Marco pag. 42.

Concil. IV. prov. Mediol. loc. alib. cit.

Beatiſſimus, *Reliquiæ exponuntur* (quod & idem ſonat ac oſtenduntur, ſi reminiſcimur, quæ præmonuimus num.XXII.) *uniuſcujuſque* MARTYRIUM, *aut* HISTORIA *breviter explicata vulgari ſermone graviter in populi frequentia* PRONUNCIETUR, *ad quam rem præterea* SACERDOTIS *de divinis illorum Sanctorum* VIRTUTIBUS, *cæleſtique* VITA, *& rebus per eos fortiter ac mirificè* GESTIS *graviter breviterque tractantis officium, ubi poteſt, adhibeatur, quo ardentiùs populi ſacras Reliquias* SPECTANTIS *animi ad omne pietatis ſtudium* INFLAMMENTUR. De cætero quod miniſtrum ſpectat hujus Cæremoniæ, quem Sacerdotem vult S. Carolus, ex modò productis antiquiorum exemplis colliges ipſos Pontifices Maximos, Cardinales Legatos, Epiſcopos, conſpicuos Religioſos Viros tale miniſterium exercuiſſe: & ut inſignem dignitate, ac pietate Antiſtitem aliis jungas noſtra ætate viventem, Cardinalis Urſinus ante oſtenſionem pluries memoratam Eccleſiæ veterem obſervantiam renovavit recitatâ Homiliâ, de qua Acta II. Synodi Provincialis Beneventanæ. Floret nunc harum orationum uſus apud Patres Aſſiſiates Ordinis S. Franciſci juxta teſtimonium hiſtorici Scriptoris num.XXVI. a nobis productum. Ex omnium hucuſque dictorum ſerie demum notare debemus ſermones hujuſmodi haberi poſſe vel ab ipſis oſtenſionum miniſtris, vel ab aliis ſeparatim.

Acta Synod. II. prov. Benev. an. 1698. pag. 47. & alibi.

N In-

LV.

De thurificatione Reliquiarum in ostensionibus.

INTER Ritus in ostensionibus servatos non ultimum certè locum obtinet Reliquiarum, sive ante illarum susceptionem, sive post, thurificatio. Illam non prætermitti mandavit lata lege S. Carolus: *Cum ab Ecclesiastici ordinis Viris Reliquiæ suis loculis vasculisque suscipiuntur, ut vel populo* OSTENDANTUR, *vel in Altari reponantur, primùm illis* THURIFICATIO *adhibeatur*. Nec decrevit extra Ecclesiæ firmatam consuetudinem Cardinalis commendatissimus; nam ostensionem portionis Crucis Cpoli thurificatio præcedebat, & quidem singulari ritu, quem descriptum reperi in Menæis Græcorum *ἀλλάσσει ὁ ἱερεὺς πᾶσαν τὴν ἱερατικὴν στολὴν, καὶ εἰσέρχεται μετὰ θυμιατοῦ ἐν τῇ ἁγίᾳ τραπέζῃ, καὶ θυμιάσας τὸν τίμιον σταυρὸν σταυροειδῶς αἴρει αὐτὸν μετὰ δίσκου ἐπὶ τῆς κεφαλῆς*..... Hunc Menæorum textum sic latinum reddit Gretserus: *Induit Sacerdos* OMNEM SACRUM ORNATUM, *& cum thuribulo ad sanctam mensam progreditur, & venerandam Crucem* CRUCIFORMITER SUFFUMIGATAM, *discoque impositam in caput tollit*.... Sequitur narratio supplicationis, aliarumque cæremoniarum, inde sollemnis ostensionis. Haud aliter fiebat in Exaltatione Crucis apud Sanctam Civitatem: omnium hujus celebritatis rituum elegantem descriptionem lectori exhibet Gallicus Antistes Godeau in Historia Ecclesiæ. Anno MLII. inventum est Corpus Sancti Bertini Abbatis in pago Tarvennæ: priùsquam efferretur e tumulo per manus Drogonis

Concil. IV. Med. mox cit.

Men. Græc. ad d. 14. Sept.

Gretʃ. in not. ad Codin. de off.

God. Tom I. hist. Siec. IV. an 324. p. 527 edit. 1657.

nis Morinorum Episcopi, atque inde ostenderetur, thuris honos eidem est adhibitus: Placet ritum ipsum ex verbis testis oculati, Bovonis scilicet Abbatis Sithivensis, perpendere: *Præsule*, inquit, *incaptante Responsorium, dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine*, IDEM INTUS EXTRAQUE THURIFICAT. *Hoc præcantato*, *dum*, *eodem præcinente ejusdem Responsorii versus*, *elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*, *subsequeretur*, arca elevabatur, quod fusè describit Author, sicuti & depositionem ejusdem supra nonnulla scamna, postea corporis ostensionem talibus delineat: *nostris quoque tunc maculosis* CONSPECTIBUS *sacrata membra* REVELANTUR. Historia hujus inventionis extat inter acta SS. Ordinis Benedictini. Post ostensiones thurificatas Reliquias insinuat instrumentum translationis insignium lipsanorum Basilicæ Vaticanæ anno MDCVI. cujus verba legesis num. XLVI. testantia Cardinalem Archipresbyterum Evangelistam Pallottum post ostensionem a Canonicis peractam thura dedisse. Producta exempla facilè docent aut ministros ipsos ostensionum thurificare debere, aut digniorem ex Sacerdotibus adstantibus.

Tom. III. act. SS. Ordin. Benedict. hist. inven. Corp. S. Bertini p. 164.

L V I.

ALIO etiam honore dignas existimarunt Catholici sacras Exuvias. Plures faces ante illas voluerunt accendi, quum monstrarentur, quod observat, laudatque Signius in tractatu de

Lumina in ostēsionibus Reliqq.

Joban. Bapt. Signius c. 41.

 Re-

Reliquiis. Ubicumque ostensiones sunt institutæ semper in usu fuisse hunc Ritum certò scimus. Romæ, luminibus pluribus circùm loca sollemnitatibus hujusmodi deputata dispositis, tales celebritates aguntur. Legatur narratio D. Chiapponi inferiùs exhibenda. Laudabilem morem viguisse in alto Virginum Monasterio Moguntino, quum proferretur portio Sudarii Dominici, affirmat Serarius: ejus locum alibi ob oculos producemus. In ostensione Beneventana, de qua toties, Ecclesiæ praxin observatam Synodus allegata declarat. S. Carolus in primo Concilio Mediolanensi Provinciali eandem retinendam decreto præcepit: *Cùm populo*, inquit, *pietatis causa Reliquiæ* OSTENDUNTUR LUMINA *accendantur*. Honorabilem hujus Decreti mentionem facit V.Cl. Justus Fontaninus in egregia dissertatione de Corona Ferrea Modoetiensi. At in Concilio IV. itidem Provinciali clariùs sese exprimit B.Archiepiscopus dicens: *Dum in altari Reliquiæ expositæ sunt* (intellige etiam dum ostenduntur juxta nostram præmonitionem) CANDELÆ SALTEM QVATVOR GRANDIORES *ibi colluceant*. Multa accendi lumina quum Reliquiæ proferuntur strictè mandat piissimus Cardinalis Marcus Antonius Barbadicus Episcopus Montisfalisci, & Corneti in sua Diœcesana prima Synodo, de qua alibi mentionem fecimus non semel. Textum lubet afferre, plura enim præter hoc continet, quæ mirificè alia superiùs dicta corroborant ac illustrant. Mandat itaque Præsul amplissimus iis, quorum interest, *ne sacras Reliquias* OSTENDANT *ob tur-*

pem

Serar. de rebus Moguntiac. l. I. cap. 17.

Synod. II. prov. Benev. num. 13. & 20. alibique.

Act. Eccl. Med. Tom. I. Concil. I. prov. pag. 5. col. 2 tit. de SS. Reliq. ac venerat. edit. Lugdun.

Fontanin. differ. de Coron. Ferr. cap. XII. p. 101.

Concil. IV. Prov. alib. cit.

Synod. Diœcef. I. Montisfalisc. c. IV. de sacr. Reliqq. n. VI. p. 14.

pem QUÆSTUM, *quia graves sui delicti pœnas dabunt. Cùm verò eas ostendunt id faciant debita cum reverentia multis nempe* ACCENSIS LUMINIBUS, SUPERPELLICEO *ac* STOLA *induti, cum* MINISTRI *assistentia, & alios Ritus ad Cæremonialis præscriptum ad unguem observando*. Hæc ille. Mysterium luminum in ostensionibus reserare videntur Patres, qui anno MDXCVI. Aquilejam convenerunt ad ecclesiasticam disciplinam instaurandam, illis verbis: *Reliquias Sanctorum, qui* FULGENT SICUT SOL, ET TANQUAM SCINTILLÆ IN ARUNDINETO DISCURRUNT OSTENDI *populis* LUMINIBUS *accensis convenit, ac decet*. Quàm bene sacris Reliquiis honorandis conveniat luminum accensio passim gravissimi e SS. Patribus proclamant: Illorum textus ferme omnes de controversiis, ac re Reliquiaria scribentes acervatim agglomerant, qui videri possunt; cultui enim ostensionum etiam aptantur.

Concil. I. Aquilej. an. 1596. de Reliqq. SS. tom. IV. Concil. Binii.

LVII.

RITUS ille Romanus, quòd Reliquiæ, quum proferuntur, annuncientur, non solùm e necessitate oritur, ut quænam sint distinguere possit multitudo, sed etiam ex commendabili Ecclesiæ usu. Dum Crux Hierosolymis monstraretur congruum visum est Andreæ Cretensi *Si propemodum* ab ipso Episcopo ostendente exclamaretur, ECCE *inventus est, qui fuerat absconditus salutis thesaurus*, ECCE *signaculum, in quo signati sumus*, ECCE CRUX, *per quam cogniti sumus Crucifixo*.

Reliquiæ quænam sint in ostensionibus enunciantur. Varia de hoc ritu.

Andr. Cretens. serm. 2. cit. ex vers. Gretf.

Hanc

Hanc τὴν ἐπαγγελίαν crediderim indicari per subobscura illa verba, quæ leguntur in historia spineæ Coronæ: *Monstratur loculus ex pulpito*, *diei felicitas*, *& causa gaudii* PRÆDICATUR. Species quædam promulgationis Reliquiarum sunt Dialogi, qui cantabantur in ostensione Sudarii Vesontini, ac Moguntiaci inferiùs exscribendi. Aquisgrani, sicut prodit Petrus Beeckius, singulæ Reliquiæ annunciantur per præconem: illum esse censerem Presbyterum, aut saltem Ecclesiasticum Virum superpellicio amictum voce præstantem. Romæ utique ita observatur. Neque ministerium illud dignitate insigni homini inconveniens. Norimbergæ Reliquias *proclamatas* per Sacerdotem, quem *vocalissimum* appellat, alibi memoratus Pirckeimerus enarrat. Ipsos ostensionis ministros tali munere fungi posse colliges ex Dialogis mox exhibendis, & e verbis Andreæ Cretensis. In Beneventana Reliquiarum propositione unus ex Episcopis, qui Synodo intererant, Pontificalibus indumentis ornatus catalogum *alta & intelligibili voce* multitudini legebat. Constitutiones Basilicæ, cui inservio, Beneficiatis hujusmodi provinciam demandant, si idoneus quispiam inveniatur, sin minus saltem Viro sacerdotali charactere fulgenti: verba constitutionum infra occurrent. Biturgiæ, dum ostenduntur multoties citatæ Reliquiæ, Ecclesiæ Cathedralis Cantor pluviali circumvestitus singulas nominat. Idiomate utuntur denunciationis ministri, quod ab omnibus, vel ferme omnibus percipi valeat, hinc frequentiùs vul-

Apud Duchesn. alib. cit.

Beeck. in Aquisg. cap. IX. cit.

Pirckeim. histo-ric. c. 8.

Synod. cit. Benevent. n 24. p. 77.

Constit. Basilic. S. M. Transtyb. c. 43. mss.

vulgare est. Alicubi latinus simul, & vulgaris adhibetur sermo tunc, quum advenas multùm dissitos a regione, in qua ostensiones fiunt, præsentes esse addubitatur. Id Aquilæ apud Ecclesiam Patrum Cœlestinorum præcipuè in usu est, quum effertur Caput cum aliis Reliquiis S. Petri Cœlestini, prout supra narravimus: & ne ab Urbe discedamus, quotannis Reliquias die Paschatis denunciari scimus in Basilica Lateranensi Italicè primùm, dein latinè. Ut plurimùm, ubi hæc viget consuetudo, duo deputantur præcones duplicitati Idiomatis respondentes. Nec voce solùm indicatas populo Reliquias invenio, sed etiam manu ostendentis. Civitas Burgensis, quemadmodum notat Hispanicum Salazarii Martyrologium ex Johanne Vallejo, lipsanothecam asservat penès majorem, ni fallor, Ecclesiam: Pretiosum thesaurum variis arculis capsulisque distinctum singulari die multitudini ostendunt Canonici. Verba Johannis Valleii ritum describentis hæc sunt propositum nostrum abundè probantia, aliaque aliis locis dicta confirmantia: *Adveniente hujus festivitatis accessu, & ipsius solemnitatis die unus ex* CANONICORUM *cœtu Sanctarum urnulas Reliquiarum* (SACRA INDUTUS VESTE) *populo inspectanti* DEMONSTRAT, DIGITO INDICANS *qualia veneretur lipsana recidivus*. Hæc ibi. Observandus aptè hic venit mos in aliquibus Urbibus, quæ insignes lipsanothecas possident modò vigens. Dum privatas Reliquiarum ostensiones optant ac poscunt cives, externive homines, ne sin-

Apud Salazar. Martyrol. Hisp. To. II. d. 9. April. p. 552.

singulas thecas ex armariis deponant manuque ostendant ministri ad id deputati, armaria solummodo reserare solent, & bacillo capsulas designare voce qualitatem nomenque Reliquiarum patefacientes. Non inutilem spiritali profectui sacrorum pignorum publicationem dicit Johannes Baptista Signius; putat enim, & quidem sapienter, audito eorumdem nomine animos efficaciùs incitari ad Sanctorum virtutes singulis chariores imitandas.

Sign. de Reliqq. cap. 41.

LVIII.

Plausus, Cantus, aliaque signa lætitiæ in ostensionibus.

PLAUSUS quandoque, ecclesiastici cantus, ac signa lætitiæ ostensiones comitantur. Caput S. Bertæ monstratum ait Scriptor apud Mabillonium *cum hymnis, & laudibus*. Hoc etiam evenisse in ostensione Reliquiarum Regii Monasterii Parisiensis S. Dionysii sub Philippo Augusto testis mihi Rigordius, cujus locum infra apponam. Inter cantus, & ecclesiasticos dialogos proferebatur venerabile Linteum Vesontinum præteritis seculis. Quales hi fuerint descripsit ex antiquo Codice rituum illius Ecclesiæ Johannes Chifletius sæpe laudatus. Ejus narrationem hìc dabo; Ritus enim redolet pristinam Catholicorum simplicitatem scitu dignissimam: *In die sancto* PASCHÆ, *inter* MATUTINAS HORAS *prodibant e sacrario tres Canonici simul canentes*: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? *Ad quos, cùm ad Altare majus accederent, alati pueri eo ami-*

Sec. 7. Benedict. jam cit.

Rigord. de gest. Philipp. August.

Chiflet. de Lint. cap. XI. pag. 54. & 55.

amictu redimiti, *quo cælestes Genii depingi solent*, quem quæritis? *illi verò*: Jesum Nazarenum: *Rursus alati pueri*: surrexit non est hic: *deinde cantor ad priorem e Canonicis*, dic nobis, Maria, quid vidisti in via? *tunc respondebat Canonicus*, sepulchrum Christi viventis, & gloriam vidi resurgentis: *mox secundus*, Angelicos testes, Sudarium, & Vestes, OSTENDENDO *Sudarium*, *quod gestabat*: *tertius demum*, surrexit Christus spes nostra, præcedet nos in Galilæam: *Ad quæ chorus dexter*: credendum magis est soli Mariæ veraci, quàm Judæorum turbæ fallaci: *Chorus sinister*, scimus Christum surrexisse a mortuis; *omnes denique unà Ritum claudebant Ambrosiano* CANTICO, *Te Deum laudamus* ..... Parum differt Ritus ostensionis Sudarii Moguntini, quam toties commemoravi: *In alto Virginum Monasterio*, inquit Serarius, QUOTANNIS *postridie* PASCHATIS *ex* AMBONE *quodam*, *prælucentibus* FACIBUS, *a Reverendiss. Domino* SUFFRAGANEO *explicatur ac* MONSTRATUR; *dum simul* CANIT: *Dic nobis, Maria, quid vidisti in via? Sudarium*, *& Vestes*. Appositè hìc addere possem diagraphen Ritus, quo solebant Græci aliquando ostendere vivificam Crucem juxta narrationem Menæorum; siquidem res agebatur inter hymnos, & ecclesiasticas laudes, sed satiùs erit ad eam percurrendam in ipsis Menæis lectorem adhortari. Cantico Ambrosiano plauditur in Basilica Vaticana, quum paullatim evolvitur sacrum stroma corporibus MM. ad tumulum deferendis olim adhibitum, quod postea spatio plurium dierum

Serar. lib. I. rer. Moguntiac. c. 17. pag. 72. n XXI.

Menæ Græc. ad d. 14. Septemb.

pendet honorificè expositum e sublimi pulpito Reliquiarum. De numero plausuum, & signorum lætitiæ rejiciendus non est sonitus ille organorum, ærisque campani, quo Romanæ Basilicæ perstrepunt, dum ostenduntur pretiosa Redemptoris nostri monimenta. Hunc usum, saltem de æris campani sonitu, apertè designat Canonicus Cassina in descriptione ostensionis, de qua num. xxx. Petrus Beeckius frequenter hactenus citatus, quum sollemnitatem ostensionis Aquisgranensis ob oculos ponit quolibet septennio renovatam, scribit aerem personare plurimo tubarum, aliorumque musicalium instrumentorum clangore ipso celebritatis tempore ad lætitiam enunciandam. In ostensione Reliquiarum Biturgiensium vix ab Ecclesiastico præcone promulgatur nomen cujuscumque sacri pignoris, quod monstrari debet, tubarum rumor incredibilis ad cœlum tollitur: ita, qui mihi cætera de hac ostensione retulit, enarravit. Optimum esse hymnos, & sacras laudes occinere in his festivitatibus præscriptum a Sancto Carolo Mediolanensi Clero Rituale plane demonstrat: *Dum* (Reliquiæ) *exponuntur* (subaudi etiam dum ostenduntur) *& item cùm reconduntur*, HYMNUS *vel de Apostolis*, *vel de Martyribus*, *vel de Confessoribus*, *vel de Virginibus* CANATUR, *prout sunt Sancti Sanctorumque Reliquiæ*, *quæ exponuntur*, *tum antiphonæ*, *& alia ejusmodi ad rem accomodata*: *ultimoque loco oratio de Sanctis illis*, *si verò Sanctus*, *Sanctave est*, *cujus proprius Hymnus*, *Antiphona*, *Oratiove extat illa* CANATUR.

MSS. Diar. Can. Cassin. d. 2. Janu. ad an. 1709.

Beeck. in Aquisg. c. IX.

In Concil. IV. Prov. loc. cit.

AN-

LIX.

ANTEQUAM ad extremas ostensionum cæremonias considerandas descendamus peculiaris usus Aquisgranensis a Beeckio discendus est. Præco ille, qui magna voce Reliquiarum catalogum legebat, dum minister circa turrim, de qua supra, ostendendo occupabatur, populos ad eleemosynas conferendas pro templi ædificio aliisque ecclesiasticis necessitatibus pia exhortatione alliciebat: insuper varias preces pro Catholicis Principibus, & Catholicorum perennitate effundendas curabat. Usus recitandi nonnullas preces viget Anconæ, dum spectanda proponuntur sacra lipsana A. D. MCCCLXXX. a Paullo Palæologo Civibus donata. Saltem id præscribit præter alia instrumentum donationis, cujus apographon ex Archivis illius Urbis publici juris facit Saracenus in suis Anconitanis Monimentis: *Volumus tamen* (verba sunt chartæ) *quod quotiescumque dictæ Reliquiæ de cætero* OSTENDANTUR, *quod in nostri memoriam* OSTENDENS *teneatur & debeat declarare donationem hujusmodi dicto Communi dicto tempore per nos factam, & quod quilibet adstantes* SEMEL ORATIONEM *Pater nostralem, & Ave Maria pro anima nostra, & parentum nostrorum devotè* DICERE *teneantur*. Ita apud Saracenum.

De aliquibus usibus nonnull. Ecclesiarũ in ostensionibus Reliqq.

Pet. Beeck. loc. cit.

Saracen. notizie histor. d'Ancon. par. II. l. 9. p. 234.

LX.

De Benedictione cum Reliquiis in ostensionibus.

INTER postremos ostensionum ritus memorabilis videtur Cæremonia benedicendi populum cum ipsis sacris pignoribus, quod præsertim fieri consuetum est Romæ, quum producitur Crucis Dominicæ theca. Id etiam moris usurpatum apud Græcos in exaltatione supra citata, ut liquet ex Menæis. Accepto pede S. Aldegundis, populoque exhibito, Præsul cum eodem omnibus benedixit, quod meliùs verba ipsa historiæ translationis anni MCLXI. indicabunt, *omnibus*, inquiunt, *ostendit, & facta* BENEDICTIONE, *omnibus se humiliter inclinantibus, in loco a quo sustulerat reposuit*. Philippus Augustus Galliarum Dominus, receptis a Balduino Imperatore A. D. MCCV. insignibus Reliquiis, easdem dono concessit Henrico Abbati Cœnobii S. Dionysii. Hic munus supplicatione decreta in suam Ecclesiam deportavit: antequam verò in sacrarium inferret, vertit se ad multitudinem ostendentis actu, ac sollemnitati finem fecit *data* BENEDICTIONE *cum Reliquiis*, ita loquitur Rigordius gestorum Augusti scriptor, *cum* HYMNIS & LAUDIBUS, *pulsantibus* CAMPANIS *universis*. Accipe nunc eandem consuetudinem ex ostensione Pii II. Pontificis, de qua pluries: *ascendit Pontifex*, sic ipse in Commentariis, *scalam marmoream multorum graduum..... præ foribus* ATRII (Basilicæ Vaticanæ) *superatoque summo gradu vertit se ad multitudinem, &* BENEDIXIT *ei sacrum* OSTENDENS (S. Andreæ) *verticem*. Aliorum

Menæ. Græc. ad d. 14. Septemb.

Hadrian. Præs. post. Malbod. ap. Bolland. ad diem 30. Januar.

Rigord. de gest. Philipp. Aug.

Comment. lib. 8. n. 10. p. 200. jam cit.

rum Scriptorum authoritatem ſi cupias, adeas, amice Lector, deſcriptiones oſtenſionis a Clemente XI. peractæ, & celebritatis prolationis Veli Beatiſs. Virginis apud Aſſiſiates, ne quid dicam de narratione oſtenſionis per Magnum Hetruriæ Ducem. Ex verbis authorum illarum elici videbis conſuetudinem benedicendi, imò plures benedictiones eodem tempore, ac pluribus in locis datas. Hoc tamen myſterio caret; nam, incredibili populorum turba Eccleſias, aut plateas opplente, non una benedictione, nec uno proſpectu ſatisfieri omnibus aliquando poteſt....

LXI.

Laici Principes ſi oſtendunt etiã benedicunt: an aliquod in hoc ſit abſurdum.

QUUM laici Principes Reliquias monſtrarunt his populus Benedictionibus nunquam privatus eſt. Verba Diariorum Domini Caſſina in relatione oſtenſionis Magni Hetruriæ Ducis mox commemorata omnem removent ambigendi facultatem. Neque tunc tranſiliiſſe Principes illos limites ſuos putandum: ſiquidem, licèt Eccleſiaſticorum hominum, imò Sacerdotum, benedicere propriè munus ſit juxta aſſertionem Guiberti Tornacenſis: *Dubium eſſe*, hæc ille, *non dubito, quin ad officium* SACERDOTALE *pertineat* BENEDICTIO, attamen aliquando a laicis benedici poſſe inficias non iverim, quod accidit, quum ſuperiores cæteris conſtituuntur: ideo enim Sacerdos hanc poteſtatem innatam habet, quia nulla dignitas ſacerdotali ſublimior, & benedictio dari

Guibert. Tornac. de off. Epiſcop. & Cæremon. Eccl. c. I. p. 402. to. XXV. *Bibl. PP. Lugd.*

dari debet a præstantiore secundùm Apostoli celebrem definitionem, *sine ulla*, inquit in epistola ad Hebræos, *contradictione qui minus est a* MELIORE (idest majore, digniore, prout legunt Interpretes doctissimi) BENEDICITUR. Quum igitur laici Principes a Pontificibus in ostensionis ministerio fuerint constituti aliis sublimiores, quis neget tunc illos benedictiones posse elargiri? Idque eo magis, quòd benedictio est actio accessoria, ut ita loquar, actioni & sollemnitati ostensionis, & quum peragendi quod principale est munus facultatem Præsides Ecclesiæ concesserint apertè, cætera subintelligi debent; præsertim quia in benedictione versamur, in qua superior inferiorem substituere facillimè valet: non enim ex illis est, quæ consecrationem alicujus rei important, adeoque sacrum ministrum solùm exposcunt, sed benedictio merè deprecativa, quæque nullam virtutem ex charactere benedicentis, sed ex vi sacrorum lipsanon impertit. Vide de distinctione harum benedictionum peculiarem Gretseri libellum de benedictionibus, & maledictionibus.

Epist. ad Hebræ. VII. 16.

Gretf. opusc. de Benedict. & Maledict. cap. I. lib. I.

LXII.

Super Pontifice signum Benedictionis non perficitur, & quare.

NOTANDUM hìc opportunè venit unicam extare occasionem, qua ostendens super aliquem ex adstantibus solitum Benedictionis signum non explet, quum scilicet Summus Pontifex ostensionis Cæremoniæ præsens esse velit, quia tunc ob tantæ reverentiam majestatis minister a signan-

ſignando loco, quo Pontifex ſiſtit, omnino abſtinet. Hunc ritum, dum ſcribo, a lectione diſco eruditæ narrationis actorum Canonizationis quatuor Sanctorum per Juſtinianum Chiapponum Sedis Apoſtolicæ Cæremoniarum Præfectum conſcriptæ. Etenim in ea notatur Clementem XI. V. Nonas Maji an. MDCCXII. in Baſilicam Vaticanam deſcendiſſe, eique exhibitas inſigniores Domini Reliquias memoratâ cæremoniâ prętermiſsâ. Accipe, Lector, authoris locum, quo & vera noſces eſſe, quæ dicimus, & varia ſparſim dicta confirmari. *Hæc* (lancea ſcilicet, Lignum S. Crucis, ac Sudarium) *ſtatis in anno diebus e ſublimi podio ſuper B.Veronicæ loculamentum conſtructo... populo* OSTENDUNTUR *ab uno ex* CANONICIS *in ſacro ordine* PRESBYTERATUS *conſtituto* STOLA, *ac* CHIROTHECIS COLORIS RUBRI *induto*, *ſibi aliis duobus a latere aſſiſtentibus Canonicis ſuperpelliceo ſuper roccbettum ornatis. Hic unus erat e ſtatis diebus ſanctæ videlicet Crucis Inventioni ſacer. Quamobrem ſicut hæc divini in nos amoris pignora, & paſſionis Chriſti trophæa..... fuerant paulò ante oſtenſa Baſilicæ Clero, quaternis ſuper totidem inaurata candelabra extra* ORNATAM PODII FRONTEM *affixa* ACCENSIS FACIBVS, *ita modò* SANCTITATI SVÆ, *diverſâ tamen cæremoniâ; illi ſiquidem terna Benedictione in medio podii, & in unoquoque ejuſdem angulo: ſummo autem Pontifici binâ*, NON CORAM, *nec in medio*, *ſed in unoquoque podii latere in* MAJESTATIS PONTIFICIÆ *reverentiam*. Hactenus Chiapponus. Chiappon. Act. Canoniz. IV.SS. p.82. col.2.

OSTEN-

LXIII.

Ritus tangendi thecas reliquiarias cum coronis præsertim post ostensiones.

OSTENSIS Reliquiis (si commodè fieri potest) aut etiam priùs laudabilis mos adstantium coronas precatorias accipiendi, ac thecis sacrorum pignorum devotionis ergo approximandi servandus est. S. Carolus eundem approbavit in IV. Concilio Mediolanensi conditione præscripta, ne a Laicis hoc ministerium exerceretur: ejus mentem nitidè habes expressam sequentibus verbis: CLERICORUM, *non laicorum opera ministeriove adhibito liceat fidelibus pietatis, & Religionis causà calculorum* CORONIS *sacrarum Reliquiarum vascula* ATTINGERE. Verum quidem Sanctum Carolum loqui ibidem de repositionibus, & expositionibus Reliquiarum, sed meminerimus, quæso, dictorum num. XXII. Huic usui firmitatem contulisse mihi videtur rebus gestis, & dignitate verè Maximus Pontifex Clemens XI. qui in ostensione toties adducta anni MDCCIX. suâ, aliorumque corollis Vaticana lipsana tetigit. Testimonio sint Diaria Canonici Cassina toties laudata.

Concil. IV. Med. loc.cit.

LXIV.

Osculatio Reliquiarum post ostensionem.

EXPOSITO Ritui affinis est ille, quo (si id etiam haud incommodum sit) populo capsulæ Reliquiariæ, confecta ostensione, exhibentur, ut quisque accedens devotè illas osculetur. Ita factum apud Monasterium S. Petri Vivi in ostensione, quam descripsimus num. XXXIX. testatur Chroni-

nicon ejusdem Cœnobii. Ita factum pariter narrat in ostensione Reliquiarum Corbejæ novæ scriptor Mabillonianus, cujus textum dedimus num. XVIII. Nota tamen in hac postrema nudas ipsas Reliquias adstantes fuisse osculatos, nam quemadmodum alibi significavimus, & nudæ monstratæ sunt, & postquam, qui aderant, oscula dederunt, tunc tantùm *clauso sacculo & in vase reposito* (verba libet repetere) *Homo sanctus vasis ostiolum obseravit*: quod imitari modò nunquam suaderem, non solùm quia, si in Lateranensi Concilio vetita est ostensio Reliquiarum sine operimentis, multò magis vetita censeri debet talis osculatio, sed quia non ubique continget, quod in ea ostensione contigit, unicè Monachorum turbam adeoque sacrorum hominum adstasse & Reliquias fuisse osculatam. Ex his nosces quàm bene providèque Synodus Hostiensis aliàs citata decreverit, dum post varia circa Reliquiarum ostensionem constituta subjunxit, *nec sine chrystallo medio deosculandæ præbeantur*. Modò, quod sciam, vivit usus oscula figendi lipsanis suis thecis occlusis apud Civitatem Biturgiensem; stat enim Canonicus minister ostensionis, de qua supra frequentissimè, in summo Altaris gradu, & populo osculandam offert reliquiariam urnulam postremò monstratam. Neapoli quoque, sicut monuimus num. XXV. ampullas sanguinis B. Januarii post ostensionem osculari solent Prorex aliique Viri Patricii.

Chronic. S. Petr. Vivi in Spicileg. Dacher. cit.

Acta SS. Ord. Bened. par. I. sec. IV. p. 375. cit.

Synod. Hostien. & Veliter. an. 1698. cit. loc.

P DUM

LXV.

Preces in repositione Reliquiarum post ostensionem.

DUM in loculamentis Reliquiæ collocantur post ostensionem, si preces in earumdem honorem recitarentur a ministris, vel adstantibus dignioribus e Clero, Ritus esset omni plausu ac laude dignus. Instrumentum translationis, ac ostensionis pignorum Basilicæ Vaticanæ A. D. MDCVI. posteris denunciavit Cardinalem Archipresbyterum orationes nonnullas Reliquiis congruentes dixisse. Legesis verba instrumenti num. XLVI.

LXVI.

Concursus ad publicas ostensiones.

RITIBUS explanatis cætera, quæ in ostensionibus considerari possunt, prosequamur. Et primò, quum variis in locis superiùs indicaverimus ingentem hominum vim ad publicas hasce celebritates confluxisse, non absurdum erit, si de illa singulariter pauca dicantur. Ea quidem concipi posset ex sola amplitudine locorum, quæ scimus his agendis sacris functionibus designata; at præstat peculiaribus documentis rem comprobare. Incredibilem concursum ad ostensionem Crucis Hierosolymitanæ perspicuè adnotavit scriptor actorum S. Mariæ Ægyptiacæ, quæ extant in collectione Suriana. Custodibus opus fuisse armatis ad Templi januas, ne inconveniens quicquam oboriretur, S. Gregorius Turonensis scribit in libris de gloria Martyrum. Populorum *exami-*

Acta S. M. Ægyp. apud Sur. to. 2.

S. Greg. Turon. l. 1. de glor. MM. c. 5.

na

na occurriſſe oſſibus Samuelis Prophetæ, dum ſollemniter transferrentur, author præ cæteris S. Hieronymus. Stuporem prorſus gignunt, quæ literis conſignarunt Coſmas Veſtiarius, Nicephorus Calliſtus, aliique de concurſu ad ſpectandas Reliquias Sancti Johannis Chryſoſtomi e Scythia Cpolim allatas. Exempla ex his translationibus pro documentis multitudinis confluentis ad oſtenſiones adduxi, quòd abſque ulla dubitatione credam in illis, ſimilibuſque feſtivitatibus centies e locis ſublimibus monſtrata, quæ tanta aviditate conſpici optabantur, licèt id expreſsè in earum hiſtoriis non innuatur. Currebant *undatim* & more *diluvii* Germani e remotioribus Imperii angulis, ut viſerent ſacra lipſana, quæ monſtrabantur Norimbergæ, quemadmodum tradunt Pirckeimerus, & Curtius, ubi de Clavis Dominicis: quod etiam ſignificavit Aventinus in Annalibus Bojorum dicens: *illa* (inſignia Auguſtalia) *Imperator Sigiſmundus Auguſtus avorum memoria Norimbergæ condidit: ibi* QUOTANNIS *conceptis feriis* MAGNA *populi*, *qui* UNDIQUE *coit*, FREQUENTIA MONSTRANTUR. Aquiſgrani quantâ gentium frequentiâ oſtenſio ſeptennalis celebraretur accipe vel e ſolo eventu anni MCCCCLX. a Meierio in Annalibus adnotato his verbis: *Menſe Julio ingens* CONCURSUS *hominum Aquiſgrani pro Indulgentiis, aſcendit populus tecta domorum pro ſupplicatione*, RELIQUIISQUE SS. SPECTANDIS, *quædam Domus nimis onerata concidit; examinati ab eo caſu homines* XIX. *& ad* LXXX. *graviter luxati, mutilati*, *vul-*

Ep. ad Riparium contr. Vigilant. Coſm. Veſtiar. ap. Baron. to V. ubi de translat. S. Johan. Chriſoſt. Niceph. Hiſtor. Eccl. l. XIV. c. 42.

Pirckeim. hiſtoric cap. 8. Curt. de Clav. Dom. c. 8. p. 149. Avent. in Annal. Bojor. l. V. p. 353. n. 50.

Meier. Annal. ad an. 1440.

vulneratique. Cęterùm videſis de concurſu Aquiſgranenſi narrationem Beekii, obſtupeſces. Auguſtæ Taurinorum nemo neſcit incredibili multitudini oſtendi S. Linteum. Sed quum abundent domeſtica, cur externis detineamur exemplis non video. Romanæ Baſilicæ, quarum pleræque non religione tantùm, verùm & molis amplitudine alias orbis facilè antecellunt, immenſam vix capere poſſunt turbam quolibet anno ad ſollemnia Reliquiarum concurſantem, adeout, dum ipſe ſemper inſpicerem totam Urbem illis diebus per Baſilicas diſpergi, animo non ſemel pervolverim, quæ canit Prudentius de Romanorum confluentia ad ſepulchrum S. Hippolythi.

Prudent. περὶ ς. hymn. de S. Hippolyth.

Quanta putas ſtudiis certantibus UNDIQUE *cogi?*
Quæque celebrando vota coire Deo?
Urbs auguſta ſuos VOMIT, EFFUNDITQUE *Quirites,*
Unà & PATRICIOS *ambitione pari.*

LXVII.

Concurſum ad Reliquias non ex ſolis plebejis conſtare.

POSTREMUS Prudentii verſiculus menti conſiderationem ingeſſit, ut animadverterem circa fervorem accurrendi ad oſtenſiones Reliquiarum, non infimæ illum plebis fuiſſe, ſed nobilium etiam Virorum, Regum interdum, & præclariſſimorum Antiſtitum. Varia exempla colligi poſſunt ex authorum textibus ſparſim prolatis, ſed alia non pigeat audire. Cpoli tamquam theſaurus pretioſus ſervabatur gladius, quo S. Petrus auriculam impii ſatellitis abſcidit. Hic verò aliquan-

quando Imperatoribus magno populi concursu monstrabatur. En verba antiqui authoris sermonis in adoratione Catenarum, & Gladii S. Petri apud Surium: *Hic gladius ut res quædam pretiosa & omnibus veneranda, Apostolicisque manibus deserviens, ac eas tangens eodem bonore ac veneratione, quo & Catenæ ipsæ in Regali palatio, ubi Apostolo Petro templum est erectum velut sacratus quidam & cælestis thesaurus in intimo loco repositus servatur, ut scimus, qui fidelibus* IMPERATORIBUS, *ac fidelium virorum multitudini ad sanctitatem* PROPONI *solet*. Hæc Author. In inventione corporis S. Vedasti, quæ accidit A. D. DCCCLII. si Ulmaro credimus accurato Scriptori, postquam e tumulo illud elevatum fuit, ostensio acta est per manus Theodorici Atrebatensis Episcopi; hoc enim sonant verba, quæ leguntur in postrema functionis narratione, *Venerabilis Theodoricus Deo laudabilis* SACRIS SACRA TRACTANS MANIBUS PATEFECIT *servulis suis*. Concursus ad hanc sollemnitatem author hac ratione qualis fuerit abundè pro re nostra promulgavit, *quid dicam? quantus populorum* CONVENTUS, *quanta utriusque sexus confluentia* NOBILIUM UNDIQUE, *& plebejalium concurrerant?* S. Hildelfonsus Toletanus Episcopus, teste Zixilane in ejus vita, arcam aperuit Leocadiæ Virginis Sanctissimæ, ac nonnullas Reliquias *omnibus*, & quidem innumerabilibus, *adstantibus* PRÆSENTAVIT: Inter illos clarissimus Princeps Recesuvindus ab authore computatur. Anno MCCCCXI. postridie Kalend. Aprilis, adstante Johanne XXIII. Summo Pon-

Sur. ad 1. Aug.

Ulmar. histor. Invent. Corp. S. Vedast. Episcop. in Februar. Bollan.

Zixilan. Vit. S. Hildelf. Tolet. ap. Mabillon. to. II actor. SS. Ord. S. Bened. p. 517.

MSS. Diar. Anton. Petr. ad an. 1411.

Pontifice, ac Ludovico Rege, monſtratam Veronicam narrat Antonius Petri Clericus Beneficiatus Baſilicæ Principis Apoſtolorum in Diario, quod legi in Bibliotheca Vaticana. Haud multò poſt, nempe A. D. MCCCCXXXIII. prid. Kal. Junias Sigiſmundus Imperator, ſollemni ſui coronatione perfecta, acceſſit ad Lateranum, atque oſtenſioni Capitum SS. Apoſtolorum interfuit, referente Infeſſura in ſuis Diariis. Paulus III. Pont. oſtenſioni quoque Capitum Apoſtolorum aliquando adſtitit, quod nimis leviter monui n. XXIII. Alia exempla Principum Maximorum, quibus eadem pretioſa lipſana monſtrata ſunt, habentur apud Soreſinum alibi commendatum. Celebre eſt iter Franciſci I. Galliarum Regis (cætera documenta præterire ſatiùs duco) ad ſpectandum Sudarium Taurinenſe: nec ullum latet quoties hac de cauſſa Mediolano diſceſſerit S. Carolus. Videantur inter alios Chifletius in opuſculo laudato, & Gluſſianus in Vita Beatiſſimi Archiepiſcopi. Ut verò aliqua de noſtris temporibus tangamus, nemo ignorat Summos Pontifices pluries oſtenſionibus Reliquiarum adſtaſſe. Exemplum, ſi vis, habes ſupra ex Chiappono. Inſuper Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardd. adſtant interdum ferme omnes unitim oſtenſionibus, quod evenit quotannis Fer. VI. majoris Hebdomadæ in Baſilica Vaticana: ad illam enim deſcendunt ſpectaturi Domini pignora, poſtquam expleta ſunt ſacra officia in ſacello Pontificio. Circa modum, ritumve, quo adſtant, legatur iterum locus Diariorum D. Caſſina n. XXX. allatus.

MSS. Diar. Infeſſ. ap. Soreſin. pag. 106. cap. 2. nu. 17. ubi alia &c.

Chifflet. cap. XX. p. 122.
Giuſſan. Vit. di S Carl. var. in locis.

NE-

LXVIII.

NEque curiositate quadam vetera suspiciendi monimenta, quod in aliquibus sacrorum contemptoribus jure optimoque merito detestatur Jacobus Gretserus, ostensionibus Reliquiarum fideles occurrebant, sed urgente solùm præcipuo Religionis instinctu ac veneratione Sanctorum. Hæc liceat metiri ex variis eorum animi motibus dum talibus celebritatibus interessent. Spectatoribus *flebiliter se inclinantibus* ostendit exuvias S. Aldegundis anno MCLXI. Præsul Cameracensis, affirmante jam citato Præposito Malbodiensi. Pluribus *præ gaudio flentibus monstratum caput* S. Berthæ author apud Mabillonium notat duplici loco. Quum ostenderentur Capita Apostolorum a Gregorio IX. hominum multitudo incredibilis lachrymis perfundebatur: ita prodit aliàs commendatus Rasponus. Scribit Pius II. in Commentariis prolatam esse Veronicam e pegmate Reliquiarum Ecclesiæ Vaticanæ manu Archipresbyteri, dum Pontifex in platonia Templi consistens gestabat Caput S. Andreæ Apostoli: Tunc vix numerabilis populus, qui convenerat, iteratis clamoribus τὸ ἐλέως ingeminabat: *Petrus itaque* (verba propono Commentariorum) *Cardinalis S.Marci .... Eugenii IV. Nepos*, *&* ARCHIPRESBYTER *ejus Ecclesiæ*, *scalâ conscensâ*, *venerabilem sanctamque Domini* FIGURAM OSTENDIT TER, *pro suo more*, MISERICORDIAM *implorante popu-*

Concursum ad ostensiones non ex curiositate oriri probant varii affectus confluentium.

Gretser. l. 1. de Cruce cap. 73.

Ap. Bolland. ad 30 Jan. jam cit.

Sec. 7. Bened cit.

Raspon. de Patriarch. Later. cit. loc.

Comment. Pii II. cap. 8. num. 30. p. 203. edit. alib. cit.

pu-

pulo. Anno MDXII. inventa sunt plura e sacris pignoribus in Civitate Trevirensi, præ cæteris Toga Domini Jesu inconsutilis. Illico, rogante Maximiliano Imperatore, Richardus Archiepiscopus publicam ejusdem indixit ostensionem mense Maji circa festum Crucis. Ad illam verò confluxit maxima Germanorum copia, quorum numerum, variosque pietatis affectus accipe de Annalibus Brouverianis: *Pro eximia, quæ adhuc in hominum pectoribus vigebat sacrorum Rituum disciplina ad* CENTUM *hominum* MILLIA *convenisse Treverim, & religionis causâ Urbem adiisse memorant. Porro ubi primùm sacrata Domini vestis in multitudinis conspectum adducta* OSTENSA *fuit, ita nempe complicata & in angustum contracta, ut inventa fuerat, auditæ voces multorum suppliciter rogantium, ut effusam explicatamque visui præberent: quod cum illi annuissent, posterisque diebus ornatu decenti cultam publicè multitudini, proceribus, atque convenis exhibuissent, tanta ibi repente animorum facta* COMMOTIO, *ut plerique omnes hujus tam divinæ rei insolito, novoque spectaculo magnam vim* LACHRYMARUM *profunderent: alii verò ob beneficii præsentis magnitudinem intimis permoverentur animi* SENSIBUS. Hucusque Brouverus, qui & alibi etiam in aliis ostensionibus hanc numerositatem, & animorum affectionem testatur. In conspectu Lintei Vesontini frequentissimè populos in fletus solutos traditum est a Chiffletio. Mira sunt, quæ narrat Glussianus de affectuum significationibus gentium, quæ aliquando confluxerant ad osten-

Brouver. to. II Annal. Trevir. l. IX. n. 48. pag. 329.

Chiffl. de Lint. cap. XV.

Giussan. Vit. di S. Carl. l. V. c. 5.

ostensionem Sudarii Augustam Taurinorum. Nostris temporibus & gemitus, & clamores emissos a Catholica multitudine accipimus ex historia ostensionis Beneventanæ, quæ legitur in libello actorum sæpè allegatæ Synodi, & e narratione sollemnitatis Virginei Veli apud Assisiates Religiosos, quam supra descripsimus. At nil efficacius exprimere valet hanc pietatem, quam quod recensetur penès historicum translationis spinei diadematis. Vix fama didita erat Parisios delatum iri pretiosissimum Christi monimentum Gallia tota spectandi adorandique desiderio capta illuc celeriter convolare; plures tamen pervenerunt recondita jam sacra corona in Regio B. Nicolai sacello: Et tunc quanto Religionis æstu moverentur patuit: *Quia*, inquit Scriptor apud Duchesnium, *non conceditur eis* VIDERE, *quod cupiunt*, *ex causis aliquibus*, *abscondito thesauro Domini & fideliter consignato*, *certatim ad campos confluunt*, ARDENTER DEOSCVLANTVR *pulpitum*, *in quo* EXHIBITUM *fuerat vas prædictum*. *Ibi*, *si credendum est personis fide dignissimis*, *pro virtute sacri diadematis*, *& propter devotionem fidelium circa languentes operatus est multas virtutes &* MIRACVLA *Dominus*. Vides itaque quanta fuerit Catholicorum devotio erga sacra lipsana, ut vel ad loca, e quibus tantummodò monstrata erant, effusi in signa lætitiæ & pietatis cucurrerint, ac propterea a Domino eorum obsequium meruerit miraculis commendari.

Acta Synod. II. Benev. an. 1698. cit.

Franc. Mar. à Rivotorto Histor. Convent. Assisiat. lib. 1. tit. 38 sup. cit.

Galter. Cornut. ap. Duchesn. tom. V. Scriptor. hist. Francor.

LXIX.

Mirabilia in ostensionibus patrata.

SED, quoniam de miraculis incidit sermo, nonnulla breviter aperiamus mirabilia, quæ aliquando in ostensionibus Reliquiarum patrata sunt. Huc spectant prodigia restitutæ valetudinis, quum monstraretur corpus B. Martialis epidemica lue laborantibus, ut supra narravimus num. XXIII. fugatique hostilis exercitus sub mænibus Romanæ Urbis, & variis in prœliis contra barbaros, ac heterodoxos ostensis sacris Reliquiis, quæ num. XX. descripsimus. Menæa Græcorum celeberrimum referunt miraculum quotannis spectatum Antiochiæ in ostensione dexteræ S. Johannis Baptistæ: Sic enim habent: λέγεται δὲ κατὰ τὴν τῆς ὑψώσεως τοῦ τιμίου σταυροῦ ἑορτὴν ἀνυψοῦσθαι ταύτην τὴν τιμίαν χεῖρα ὑπὸ τοῦ ἀρχιερέως. ἐν δὲ τῷ ὑψοῦσθαι ταύτην ποτὲ μὲν ἐκτετάσθαι, ποτὲ δὲ συστέλλεσθαι. καὶ τῇ μὲν ἐκτάσει αὐτῆς εὐφορίαν δηλοῦσθαι καρπῶν, τῇ δὲ συστολῇ ἀπορίαν, καὶ ἔνδειαν: quæ vertuntur a Gretsero: *Dicitur Episcopus Antiochiæ die sacrosanctæ Crucis exaltatæ venerandam hanc manum spectanti populo* SUBLIMEM TOLLERE; *eam, dum tollitur, subinde explicari, subinde per se contrahi, atque per explicatam quidem manum frugum ubertatem portendi, contractione verò annonæ caritatem denuntiari.* Non exiguum miraculorum numerum recenset Chiffletius, quæ in ostensionibus Lintei Vesontini Dominus operabatur: nec prætereundum quod idem Author monet, centies, quum sollemnitas im-

Ex Fragment. histor. Aquitan. apud Baron.

Ex anecd. Martenianis.

Ex Anthor apud Raynald.

Menæ. Græc. postrid. Epiphan.

Gretf. de Cruce l. I. c. LXV. p. 228.

Chiflet. loc. cit. cap. XIII. p. 76.

immineret, eveniſſe, ut pluvium cœlum extemporanea ſerenitate affulſerit, & inducias quodammodo conceſſerit oſtenſioni celebrandæ: Inſuper ait Demones de energumenis vix prolato ſacro Linteo ululantes erupiſſe, ſicut contigit, dum illud explicaretur Camberii anno MDXXXV. quod poſtea Taurinum delatum. Nebula Eccleſiam opplevit, pluraque mirabilia conſpecta ſunt, quum honorabile Chriſti Præputium oſtenderetur Parocho Parthenii ſodalitii S. Urſulæ, aliiſque, qui advenerant e terra Maſſani in oppidum Calcatæ, quò translatum erat biennio poſt everſionem Romanam ſub Clemente VII. Geſtorum ſeriem accurate proſequitur Petraſancta eruditus S. J. Presbyter in ſuis Metaphorarum Centuriis. Inſigne miraculum Sulmonæ ſpectari in oſtenſione Spinæ Dominici Diadematis ex Aloyſio Zaconi notat Johannes Theupolus in ſuo tractatu Reliquiarum S.Marci: *Scrive*, inquit, *Ludovico Zaconi, che nell'Abbruzzo nella Città di Sulmona ſi trovi una Spina della Corona di Chriſto, la quale ſtandoſene tutto il tempo dell'anno coperta di ſangue, viene nel* VENERDI SANTO IN MOSTRARSI *al popolo a rimaner ſcoperta di eſſo ſangue, che ſi ritira all'insù verſo la cima, e manda fuori alcuni piccioli fiori, che pajono bottoncini di ſangue*. Mirabilibus etiam ac inuſitatis adnumerandum eſt, quod in Urbe nos ipſi conſpicimus; quotannis enim videmus excitari ad iracundiam energumenos, toto corpore contremiſcere, ac truculentas voces emittere in conſpectu Reliquiarum, quæ apud Baſilicas mon-

Id. cap. XV.

Id. ibid. c. XXI. p. 129.

Petraſanct. Cent. I. Metaph apud Raſpon. de Patriar. Lateran.

Zaconi ap. Thiepol. pag. 18.

monstrantur, sicut accidere solebat, quum ad sepulchra Martyrum ætate S. Hieronymi trahebantur, quod ipse testatur illis verbis, quibus λιψανόμαχον Vigilantium eximiè carpit, *apud Reliquias* (SS.) *Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur*. Nefas prorsus putarem si dicere negligerem variis in locis modò Reliquias ostendi adventantibus solâ impetrandæ sanitatis causâ. Unum afferam exemplum exuviarum S. Projecti Episcopi, & Martyris, quæ, ut refert Mabillonius, thecis inclusæ monstrantur podagrâ, & rheumate ægrotantibus in Monasterio Volavicensi apud Arvernos.

Epist. ad Ripar. contr. Vigilant. to. II. oper. edit. Rom.

Mabillon. obser. praev. ad histor. Translat. S. Projecti. to. II. actor. SS. Bened. p. 652. n. 2.

LXX.

Abusus in concursu ad Reliqq. profligatur.

Ut verò ad concursum populorum revertamur, a quo deflexímus, sciendum est Ecclesiarum Antistites, quum haud immeritò pavescerent, ne scandala oborirentur, si frequentissimus populus nulla habita sexus distinctione sollemniis ostensionum interesset præsertim horis nocturnis, præclarè statuisse quandoque, ut non unus idemque dies viris, fœminisque satisfaceret. Id utique constitutum novimus in ostensionibus Venetæ lipsanothecæ, si fides præstanda est conterraneo Scriptori: *Mostransi esse Reliquie*, ita Stringa in descriptione Thesauri Reliquiarii Basilicæ Sancti Marci, *e specialmente la sopradetta ampolla due volte all'anno, cioè nel Giovedì santo di* SERA *agl'* UOMINI, *e la vigilia dell'Ascensione pur di* SERA *alle*

String. cap. X. Descriz. di San Marco p. 40.

DON-

DONNE, *e non agl' uni, & agl' altri insieme, e ciò per buoni e convenienti rispetti*. Quàm bene Veneta consuetudo inducta fuerit, & quantùm Ecclesiasticæ veteri disciplinæ sit concors cognoscimus ex ostensione Lanceæ Dominicæ Cpoli peracta A. D. DCXIV. juxta testimonium Chronici Paschalis. Capta Urbe Hierosolymitana a barbaris Persarum militibus varia, Niceta Patricio curante, Domini monimenta Sanctissima Cpolim transmissa sunt, Lancea præ cæteris. Illuc pervenit mense Octobris, & jam annuntiato populis in magna Ecclesia ejus adventu, distinctis diebus viris, fœminisque exhibita est, ut adoraretur, καὶ τῇ τρίτῃ, καὶ τετάρτῃ προσεκυνήθη ὑπὸ ἀνδρῶν, πέμπτῃ δὲ καὶ παρασκευῇ ὑπὸ γυναικῶν: *ac tertiâ deindè, & quartâ feriâ a* VIRIS, *quintâ verò, & sextâ a* FOEMINIS *est* (Domini Lancea) *adorata*. Sic citatum Chronicon.

Chron. Paschal. edit. Ducang. p.385.

LXXI.

PRÆTEREA sciendum est stimulos interdum populis additos Principum edictis, ut ostensionibus interessent. Hoc accidit sub Carolo Magno Imperatore, qui Aquisgranum subditos invitavit ad visendas Reliquias ab Oriente recèns allatas juxta testimonium Henrici de Herphordia. Ostensio quoque Sylvanectensis mandante Ludovico Rege Francis est *generaliter denunciata*, sicut loquitur instrumentum a nobis num.XXXIV. de Bibliotheca Labbeana exscriptum.

Principum edictis invitari fideles aliquando ad ostensiones.

Henr. de Herph. ap. Panvin. de Caerem. loc. cit.

ALIA

LXXII.

Indulgentiæ accurrentibus ad ostensiones concessæ.

ALIA etiam viâ animi fidelium excitabantur a Romanis Pontificibus, eorum Legatis, & Conciliis ad has sollemnitates frequentandas. Indulgentiæ concedebantur accedentibus amplissimæ. Sanè hanc esse Ecclesiæ intentionem donandi indulgentias his occasionibus clarè percipies lectione literarum Clementis VIII. quas infra producam. A Patribus Aquisgranensibus ita actum est pro alacritate multitudinis fovenda ex eorum decreto, de quo alibi, quotannis ad ostensionem properantis: Vide nuper citatum Henricum Herphordiensem. Inter documenta a Pontificibus petita quinque mihi sint instar omnium. Indulgentias largitus est Innocentius VI. in ostensione Nurnebergensi anno MCCCLXI. quam exposuimus, quum de hujusmodi celebritatibus extra ordinem verba fecimus. Quales illæ fuerint audire non sit injucundum ex Rebdorfio, *existentibus*, inquiunt ejus Annales, *ibidem denunciantur* MAGNÆ INDULGENTIÆ, *quas Innocentius Papa VI. tunc gratiosè concessit, videlicet easdem Indulgentias, quas in Urbe Romana Pontifices in die Cœnæ Domini concedere consueverunt*. Hæc Rebdorfius. Gregorius XI. A. D. MCCCLXXI. Indulgentias concessit assistentibus ostensioni Capitum SS. Apostolorum Petri, & Paulli in Patriarchio Lateranensi, easdem, quas lucrantur spectatores Vaticanæ Veronicæ: lege diploma in opusculo Soresini supra allegato, quod & exhibet quales illæ tunc temporis fuerint. Nec omit-

Rebdorf. in Annalib.

Apud Soresin. de Cap. SS. Apost. cap. III. n. 2. & cap. II. n. 17.

omittendum, quod Innocentius VIII. in ostensione Lanceæ, quam commemoravi num.xxx. populum Indulgentiarum favore recreavit. Plenariam contulit Indulgentiam Clemens VIII. adstantibus prolationi Reliquiarum Basilicæ S. Mariæ Trans-Tyberim, quod pleniùs ex literis exscribendis constabit. Urbanus VIII. plenariam itidem Indulgentiam tribuit illis omnibus, qui adessent, quum efferretur Domini Sudarium in Basilica S. Petri: adeas mox citatum Soresinum postremo loco. Legatos a Latere Sedis Apostolicæ, si ostensiones tempore legationis accidissent, Indulgentias promulgasse instrumentum super sollemnitate Sylvanectensi confectum opportunè comprobat, dum notat: *Sermonem fecit D.Petrus S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Chrysogoni, & Sedis Apostolicæ Legatus, qui authoritate BB. Apostolorum Petri, & Pauli, & S. R. Ecclesiæ, atque Episcoporum, qui aderant, congregato populo, & omnibus innovationem Ecclesiæ juvantibus* INDULSIT *vota transgressa, peccata oblita, & pœnitentiarum partem septimam*. Talia instrumentum.

LXXIII.

MENTIONEM bis quum fecerim literarum Clementis VIII. Pontificis non ausim tacitus præterire considerationem, quam animo concipiebam, dum illas perlegerem. Ea fuit, quod noverim tanti semper habitam fuisse in Ecclesia, tamque utilem reputatam celebritatem ostensio-

Quanto in pretio sit ostensionis Ritus arguitur e solicitudine pro illo instituendo, aut servando Pontificū, ac ministrorum eorumdem.

fionum Reliquiarum, ut ipfi Romani Pontifices eafdem promovere inter non ultimas paftoralium folicitudinum repofuerint. Certè Summus hic Pontifex, quum acceffiffet ad vetuftiffimam Transtyberinam Bafilicam in generali illa Urbis Ecclefiarum vifitatione, quam initio Pontificatus fpeciali diplomate indixerat, audiffetque Cardinalem Titularem defiderio teneri, imò ftatuiffe, ut præftantiffimæ Reliquiæ, quæ maximo decore apud eandem affervabantur, quotannis populo oftenderentur, piam ejus voluntatem exequi & perpetuam fieri expeditis fingularibus literis præcepit, addiditque enunciatas Indulgentias. Hafce literas ex authentica charta in Archivo Canonicorum latente defcriptas volui hìc proponere non una ex cauffa; quòd fcilicet non levi argumento effe poffint dignitatis ac celebritatis Bafilicæ, quòd varia, quæ diximus, uberiùs confirment, denique quòd credam ineditam hanc hactenus, quod fciam, Papalem fanctionem non indignam effe, quæ eruditorum oculis fubjiciatur.

Bullar. Rom. tom. III. Conftitut. 8. Clement. VIII.

Ex Arch. Bafil. S.M. Tranftyb. in To I. varior. monument.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ AD fummi Apoftolatus apicem, meritis licet imparibus, divina difponente clementia affumpti univerfos Chriftifideles ad facrarum Reliquiarum cultum cœleftibus Indulgentiarum muneribus, & peccatorum remiffioni-

„ nibus libenter allicimus, ut qui easdem sacras
„ Reliquias venerantur & colunt, quod pro-
„ priis meritis assequi non possunt, id Christi Dei
„ nostri meritis, & Sanctorum, ex quorum corpo-
„ ribus desumptæ sunt, precibus suffragantibus
„ impetrent. In visitatione siquidem ANTIQUÆ,
„ & CELEBRIS BASILICÆ B. MARIÆ TRANSTYBERIM
„ per nos nuper facta permultas, & illas quidem
„ valde insignes Domini Nostri Jesu Christi, ejus-
„ que gloriosissimæ semper Virginis Genitricis
„ Mariæ, ac Sanctorum Apostolorum, Marty-
„ rum, Confessorum, & Virginum Reliquias in
„ eadem Basilica jam a tanto tempore, cujus ini-
„ tii memoria non extat, asservatas non sine ma-
„ gna animi nostri lætitia invenimus, quas dile-
„ ctus filius noster Marcus Siticus ipsius Basilicæ
„ Presbyter Cardinalis ab Altaemps nuncupatus
„ singulari in Deum pietate, & erga SS. Dei Ge-
„ nitricem de CLEMENTIA nuncupatam, cujus ima-
„ go in dicta Basilica religiosè colitur; honorifi-
„ co & insigni loco collocavit; in altari nimi-
„ rùm majori, & in tabernaculo, quod ex angulis
„ consistit, & constat sumptuoso opere, & ele-
„ ganti forma confectum est, quodque a quatuor
„ columnis porphiretici marmoris sustentatur, ac
„ fulcro ejusdem formæ quadrangularis ad com-
„ moditatem Sacerdotum, qui populo easdem
„ sacras Reliquias OSTENSURI SUNT, munitum
„ est. Necnon statuit conficiendas esse duas cla-
„ ves, quarum alteram ipse Marcus Siticus Car-
„ dinalis, & pro tempore existens ipsius Basilicæ

„ Presbyter Cardinalis penes se habere; alteram
„ dilecti filii illius Capitulum, & Canonici perpetuò servare & custodire deberent, ita tamen,
„ ut ad majorem earum VENERATIONEM Reliquiæ
„ ipsæ semel in anno OSTENDANTUR. Nos igitur
„ pium & laudabile ipsius Marci Cardinalis propositum plurimùm in Domino commendantes,
„ ac volentes, ut sacræ Reliquiæ hujusmodi in
„ cultu habeantur, & ut populi pietas ad illas
„ colendas in dies magis augeatur, APOSTOLICA
„ AUCTORITATE tenore præsentium perpetuò statuimus, ut Reliquiæ prædictæ quotannis die
„ Dominica in Albis per ipsius Ecclesiæ Canonicos, & Ministros, atque ut fieri solet in PATRIARCHALIBUS Urbis Ecclesiis populo publicè
„ OSTENDANTUR. Ut autem Christifideles ad ipsarum Reliquiarum venerationem vehementiùs
„ EXCITENTUR, atque ad dictam Basilicam LIBENTIUS ACCEDANT, quò cœlestibus muneribus
„ conspexerint se uberiùs refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, & Pauli
„ Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus,
„ & singulis utriusque sexus Christifidelibus verè
„ pœnitentibus & confessis, ac sacra Communione refectis, qui singulis annis in die Dominica
„ in Albis, dum Reliquiæ ipsæ populo OSTENDUNTUR, præsentes fuerint, vel ipsam Basilicam
„ in dicta die Dominica in Albis a primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem diei Dominicæ devotè visitaverint, & pias ad Deum preces pro S. Rom. Ecclesiæ felici statu, hæresum

extir-

" extirpatione, ac inter Christianos Principes
" fovenda pace, aut aliàs, prout unicuique sug-
" geret devotio, effuderint, PLENARIAM omnium
" & singulorum suorum peccatorum INDULGEN-
" TIAM, & remissionem authoritate & tenore
" prædictis etiam perpetuò concedimus & elar-
" gimur. Eisdem præsentibus, quas sub quibus-
" cumque revocationibus, suspensionibus, & de-
" rogationibus similium vel dissimilium Indul-
" gentiarum, & gratiarum per Nos, & Successo-
" res nostros Romanos Pontifices pro tempore
" existentes, & dictam Sedem, sub quibuscunque
" tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clau-
" sulis, & decretis pro tempore factis & conces-
" sis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis
" exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties
" in pristinum statum constitutas, & de novo
" concessas esse & censeri decernimus, perpetuis
" futuris temporibus duraturis. Non obstantibus
" nostris unâ videlicet de Indulgentiis ad instar
" non concedendis, alterâ verò posteriores In-
" dulgentiarum concessiones, ubi prior aliqua
" perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum con-
" cessa fuerit, annullante, aliisque constitutioni-
" bus, & ordinationibus Apostolicis, quòdque
" aliæ Indulgentiæ perpetuò, vel ad tempus
" nondum elapsum dictæ Basilicæ, illamque visi-
" tantibus concessæ fuerint, cæterisque contrariis
" quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum
" sub annulo Piscatoris die x. Aprilis MDLXXXXIII.
" Pontificatus nostri anno secundo.

M.Vestrius Barbianus.

Epist. Mart. V. apud Raynald. jam cit.

Hanc Pontificum curam singularem cumprimis quoque probat Epistola alibi citata Martini V. ex illa enim cognoscimus, vix schismate pervicacissimo sublato, quum plurima sarcienda essent collapsæ Ecclesiasticæ disciplinæ damna, reparatum præcipuè a maximo Antistite, ne sacrorum pignorum ostensio in dissuetudinem abiret. A ministris pariter Apostolicæ Sedis aliquando restauratas reperio Reliquiarum ostensiones in aliis Catholicorum regionibus. Unum pro omnibus mihi exemplum sit, quod gessit Apostolicus Apocrisiarius apud Germanos A. D. MDLXXXV. Obsoleverant ostensiones Togæ Dominicæ Trevirensis, Germaniâ motibus civilibus caussâ præcipuè Religionis concussâ, sed qui illas iterum stabiliendas curaverit ex Brouvero alibi citato accipiamus: *Vere exeunte*, sic ille, *Johannes* (Antistes Trevirensis) *cum fratre Gregorio Wormatiensium Præsule Treviris agens sexta, septima, & octava die Maii in hominum magna præsentia religiosissimum Vestis Domini nostri inconsutilis* SPECTACULUM EXHIBUIT. *Id quod difficili & gravi licèt Reip. tempore accidisset præter oppidanorum vulgus e proximis vicis, ac municipiis ingentem tamen multitudinem rei fama civit .... Author &* EXTIMULATOR *hujus religionis Johanni Franciscus Vercellensis Episcopus* (Nuncius Apostolicus) *extitit; quadraginta quippe jam anni effluxerant, cùm hac sacra Tunica non mota loco. Is ergo cum nuper Treviris in Urbe consedisset valde sibi esse in votis ostenderat in Reliquiis exhibendis morem & exemplum repeti majorum, copiam-*

Brouver. Annal. Trevir. to. 2. lib. XXII. p. 421.

que

que spectandi fieri quamplurimis, quantùm per hæc difficillima tempora liceret; quod persuadere Johanni in omnia pietatis augendæ studia sponte currenti ardui non erat negotii. Ita Annales Trevirenses.

LXXIV.

QUANTO in pretio fuerint hæ sollemnitates aliis duabus rationibus concipere debemus. Harum prima est, quòd in Martyrologiis aliquando actæ ostensiones describerentur tamquam memoria dignæ sempiterna. Usuardi Martyrologium ex additione Molani hæc adnotavit de ostensione exuviarum S. Aldegundis ad diem VI. Junii: *Malbodii* OSTENSIO *corporis S. Aldegundis*.

Ostensionum memoria in Martyrologiis adnotatur.

Martyrol. Usuardi cum addit. Molan. ad d. 6. Jun.

LXXV.

PRÆTEREA (& hæc est altera ratio) apud aliquas Ecclesias, quarum ministri peculiares Constitutiones sese observaturos jurejurando obstringunt, in iisdem præcipuè mandatur, ut nunquam ostensionum festivitates prætermittantur. Hoc vinculo detinentur Canonici Basilicæ S. Mariæ Trans-Tyberim. Constitutiones a Cardinali Saulio Titulari promulgatæ A. D. MDCVII. quarum observantia sollemni sacramento a Clero promittitur, lato decreto perpetuitati ostensionis strictiùs providerunt. Illud integrum hìc dabo ea præ-

Ostensionis Ritus ut servetur alicubi peculiari cōstitutione juramento roborata decernitur.

præſertim cauſſa, quòd ſciam nonnullorum hactenus dictorum epitomen quandam præſeferre: *Item ſtatuimus, & ordinamus, quod* SINGULIS ANNIS *in Dominica in* ALBIS *Sanctorum Reliquiæ, quæ admodum inſignes ſuper Altare majus Eccleſiæ recondita ſunt, populo* OSTENDANTUR, *prout fieri ſolet in Eccleſiis Patriarchalibus per Hebdomadarium, vel alium ex* PRESBYTERIS *Canonicis, cui coadjuvare debeant* DUO CANONICI, *quorum unus ſit ex ordine* DIACONORUM, *& alter ex ordine* SUBDIACONORUM, *& in ipſo ordine priores, induti* ROCCHETTO, *&* COTTA, *ac unus ex* BENEFICIATIS, *ſi ex eis aliquis ad id fuerit idoneus, ſin minùs, alius* PRESBYTER SUPERPELLICEO *indutus Reliquiarum nomina* VULGARI *ſermone, alta & intelligibili* VOCE *populo* SIGNIFICABIT, *& ut populus ſit* FREQUENTIOR, *Canonicus Sacriſta teneatur ſaltem per octo dies ante publicari facere per urbem, & a verbi Dei Concionatoribus* INDULGENTIAM *plenariam intereſſentibus, ſeu Eccleſiam viſitantibus perpetuò conceſſam*. Hactenus Conſtitutiones.

MSS. Conſtitut. S. M. Tranſtyb. edit. à Card. Saulio c. XXXXIII.

LXXVI.

Antiquitas, & pretiũ noſtri Ritus arguitur e picturis, numiſmatibus, aliiſq.

SED *jam tempus equùm fumantia ſolvere colla, jam pervenimus uſque ad umbilicum* tractationis hujus noſtræ. Supereſt tamen adhuc aliquid edicere, quod pro oſtenſionibus obſervavi. Mos ipſe proponendi Reliquias quàm ſit antiquus & undequaque probatus vel ex illo ſignificatur, quòd in veteribus picturis, Principum numiſmatibus,

tibus ; aliisque similibus rebus symbola hujus Ritus frequentissimè occurrant. Eximium opus clarissimi Præsulis Johannis Ciampini de monimentis musivis non pauca suggerit de his testimonia; profert enim Musiva referentia Christum ipsum, Angelos, Sanctosque manu gestantes, & commonstrantes Agnum sacratissimum, Crucis trophæum, Typum divinitatis A. & Ω, sacros Scripturarum Codices, cæteraque plura, quæ disertè Ritum pandunt ostendendi quicquid sanctum & honorabile in Ecclesia Catholica semper reputatum est, præcipuè apud Latinos: adi secundum monimentorum tomum, tabulasque perscrutare. At Græcis quoque familiare erat Sanctos delineare manibus tenentes, objicientesque oculis sacras & venerabiles imagines, quod probat vir omnigenæ eruditionis Philippus Bonarroti in præclaro opere Italico de Vitreis Fragmentis. Principum Numismata quædam præseferunt Iconas Beatiss. Virginis ostendentis Unigenitum Filium suum: Videas, benigne Lector, celebrem Cangii Dissertationem de inferioris ævi numismatibus, tabulasque annexas. Verùm ut peculiariùs rem Reliquiariam attingam scio per Ludovicum Sabaudiæ Ducem A. D. MCCCCLIII. Carolum anno MCCCCLXXXVII. & Emanuelem Philibertum anno MDLXXVIII. ejus successores numismata evulgata, quæ Angelum exhibent sanctam Sindonem explicantem: legi potest Chiffletius in sua Crisi historica de Linteis, & Pingonius in sua Sindone, quæ opuscula proponunt ectypa nonnullorum hujus generis numisma-

V. Ciampin. to. II. monim. musiv. sparsim.

Bonarot. var. osservaz. sopra i framm. di vetri antichi pag. 10. tav. I. fig. 2. e 3.

Du-Cang. dissert. de infer. æv. numis. num. 30. & tab. 3.

Chiffet. c. XX. p. 120. Pingon. Sindone Evangelica.

maton. Nemini insuper ignotum varias spectari picturas in Urbanis Ecclesiis, ac privatis Domibus, quæ Veronicam exprimunt obtutui præbentem Domini faciem pretioso Sanguine figuratam. Denique observatione res haud indigna videtur, quod in cælandis Reliquiarum thecis antiqui artifices, quos & moderniores imitantur, effinxerunt imagines ostendentium ipsa sacra lipsana. Hujus consuetudinis si vis documenta percurras tractatum Reliquiarum alibi citatum Johannis Theupoli. Opus pariter Felibieni evolvendum, qui in Descriptione Thesauri Sandionysiani præ cæteris tabulâ III. veterem spectandam tradit Reliquiariam thecam ea ratione efformatam.

Gio. Tiepol. trat. delle Reliquie di S. Marc. pag. 50. & 73.

Felibien. hist. de S. Denys descrip. du tres. cap. II. planch. 3. p. 540.

ΤΕΛΟΣ.

Addenda & Corrigenda.

Pagina 28. versu 4. in marg. Sard. lege *Eunap. Sard.* p. 33. 13. & p. 41. 13. lege priùs *cum*, postea *tum*. 35. 28. Germano fratri l. *consanguineo*. 48. 23. promeridianis l. *pomeridianis*. 49. 2. XXV. lege XXVI. 76. 14. pluris l. *plurimi*. 110. 3. qui l. *quod*. in marg. 16. l. 7. 119. 23. ἔλεως l. ἵλεως. 123. 16. Sulmonæ l. *Sulmone*. 127. 15. in marg. adde *ap. Labbe in Biblioth. loc. cit.* pag. 72. 20. post verbum *pandemus* adde: Nostris temporibus hanc prohibitionem restauravit Diœcesana Synodus Neapolitana, jubente Card. Cantelmo A.D. MDCXCIV. congregata, hoc decreto: *Laici nullo modo sacras Reliquias* TANGERE *audeant*.

Cap. VIII. de Reliqq. & miracul. SS. n. 11.

Cætera, quæ irrepserunt, sphalmata Lector humanissimus recognoscet.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM.



S cam

Lai-

M

N

Cpo-

Rheu-

S

T

INDEX

Explicit Index rerum notabilium.